

THOMAE NESTI
PISTORIENSIS

DE DIRIMENTIBUS MATRIMONIUM IMPEDIMENTIS

LIBER SINGULARIS






FLORENTIAE A. D. MDCCLXXXV.



EXCUDEBANT Antonius Josephus Paganius, & Soc.

Praesid. Adprob.



AETERNIS . SARPII . MANIBUS

THOMAS . NESTIUS

QUOD . DE . DIRIMENTIBUS . MATRIMONIUM

IMPEDIMENTIS

OPUS

TANTO . DUCE . ET . AUSPICE

ELABORAVIT

HONORIS : GRATIQUE . ANIMI . CAUSSA

D. D. D.

INDEX CAPITUM



CAP.

Cre tion

ERRATA . CORRIGE

pag.	lin.	Errata	Corrige
4.	13.	ceterique cognati	caeterosque cognatos
24.	2.	quod	quo
25.	16.	expertem	expertes
26.	8.	sancire poterit	sancire non poterit
27.	16.	innititur	inniti
30.	2.	quae	quam
ibi	23.	abjudicat	iis abjudicat
31.	10.	garriuntur	garriunt
36.	7.	accepit	accessit
43.	32.	summum illud	summum illud potita
44.	3.	Principes spoliaret	eo Principes spoliaret
100.	*ult.*	dirimis	dirimit
127	7.	dirimitur	matrimonium dirimit
146.	29.	ad primum	ad primum quod attinet
148.	30.	ad alterum	quod ad alterum

Cetera sapiens, ac benevolus lector.



CAP. I.

Regia in Matrimonium Poteſtas plurimis rationum momentis, argumentiſque demonſtratur.

QUo potiſſimum tempore Sapientiſſimus Naturae auctor Deus Optimus Maximus longe lateque vagantes diſperſoſque Populos in ſocietatem congregavit, atque coegit, eo quoque ſocietati Principes, Regeſque praefecit, qui ſocietatem ipſam benè, riteque regerent, atque adminiſtrarent, eamque hominibus compararent, quae praecipuum totius humani convictus fundamentum eſt, concordiam, atque felicitatem. Cum autem is qui aliis onus imponit, ea ipſis tribuere jura debeat, quibus onus illud exequi poſſint, conſentaneum eſt, ut ſupremus ille rerum omnium Opifex, qui talia Principibus, Regibuſque dedit officia, eam ipſis poteſtatem impertiverit, qua liberis moderandis ſocietatis actionibus, illam, quam conſtituendis Regibus propoſitam habuit Deus ipſe, civilis communitatis utilitatem retinerent, atque amplificarent. Quoniam vero civilis ſocietas liberis hominum actionibus, pactis, conventionibuſque neceſſariis quibuſdam veluti fundamentis continetur, apprime con-

consequitur, ut Principibus, Regibusque potestas tributa divinitùs fuerit, qua humanis conventionibus et pactis pro variis temporibus jura, legesque describerent, sine quibus universam inauspicatae quaedam conventiones Rempublicam in vetitum, nefasque agerent fortè fortunà praecipitem. Cum autem hanc Principibus in conventiones, et pacta potestatem summi providentia Numinis tribuerit, potiori quoquè jure dicendum est, et eam ipsis in connubialem concessam a Deo fuisse pactionem, qua reliquae civiles omnes conventiones, qua totum vitae institutum, qua familiarum pax, atque tranquillitas, qua universa Civitatis salus, atque incolumitas, qua denique necessario veluti elemento, arctissimoque quodam vinculo sanctissima ipsa humani generis societas nititur, atque continetur. Quod si Principes, Regesque omnem in connubialem pactionem potestatem Divino Naturae Auctore collatam habent, intelligi facile potest, et ipsos a sanctissimo illo, purissimoque fonte jus hausisse, quo nuptialem pro diversis Reipublicae rationibus conventionem moderarentur, legesque praescriberent, ut nulla prorsus sit, atque irrita, si quis aliter ac civilibus caveretur legibus, Nuptias inire contenderit; Quemadmodum de donationibus inter virum, et uxorem, caeterisque minorum pactionibus sancitum novimus, qui nulla Praetoris, tutorisque auctoritate confirmati sapientissimis Principum constitutionibus penitus infirmantur atque tolluntur. Secus enim sibi quodammodo defuisse videretur Deus, si constitutis ad regendam societatem Magistratibus, Regibusque potestatem denegasset, qua societatem ipsam, adeoque connubialem, ex qua societas ipsa conflatur, pactionem latis legibus moderarentur. Quod

certe

certe quantum a recto rationis instituto, Divinaque illa, quae nullis circumscribitur Providentia finibus abhorreat, fugit omnino neminem.

Et sane si quibus suam dirimentia Matrimonium impedimenta (1), originem acceptam referunt causas, si rationem modumque quo Matrimonium dirimunt, si gravissimos illos, qui hac de re disputarunt auctores, si denique verum, sincerumque illud a quo sunt profecta, ortum animadvertere lubeat, intellectu proclive est, vel omnia dirimentia hujusmodi matrimonium impedimenta ab ipsa publicae tranquillitatis felicitatisque ratione politicaque illa quam Civium conservandae, augendaeque utilitatis ergò constituit Deus ipse, Potestate suum duxisse principium.

Quamobrem varia illa cognationis, et affinitatis genera, quibus matrimonium dirimitur ob eum unice invecta sunt finem, ut civium amicitiae, et propinquitates in diversas cognationes diffunderentur (2) maxime enim interest Reipublicae ut latissime pateant sanguinis conjunctiones, ex quibus hominum quasi quaedam societas, et communicatio utilitatis, et ipsa caritas nascitur, quae è privatis domibus serpens sensim foras cognationibus, atque affinitatibus, per universum hominum genus in immensum subinde porrigitur (3). Quod si hujusmodi cognatos inter, atque affi-

(1) Impedimentorum Matrimonii duo sunt genera, unum eorum, quae non dirimunt contractum, sed impediunt contrahendum, aliud eorum quae contrahendum impediunt, et contractum dirimunt, de his modo.

(2) Plutarch. quaest. Rom. 108. *Cur cognatas non ducunt uxores an ut conjugiis augeant necessitudines multosque sibi parent cognatos aliis dando ab aliis accipiendo mulieres?*

(3) Div. August. de Civit. Dei lib. 15. cap. 16. *habita est enim ratio rectissima caritatis ut homines quibus esset*

affines conjugiorum daretur venia, anguſtiſſimis ipſa humani generis caritas limitibus coerceretur, quae tamen crebris propinquitatibus longe lateque diffunditur.

Praeterea cum non ſolum fratres, atque ſorores, ſed conſobrini, et conſobrinae aliique etiam cognati communem in eadem familia vitam vivant, bene ac ſapienter inſtitutum eſt, ut hujuſmodi inter propinquos promiſcuam vitae conſuetudinem retinentes matrimonia prohiberentur, ne ſi fratres, ſorores, caeterique cognati in eadem commorantes domo mutuis implicari amoribus, nuptiiſque inhiare liceret (1) latiſſimus ſtupris, inceſtiſque pateret aditus, ac familiarum, quibus univerſa Reſpublica conſtat, ſanctitas, atque honeſtas daretur peſſum.

Huc etiam accedit, quod homines a conſanguineis, cognatiſque in eadem domo ſuſcepti a naturali robore, firmaque corporis conſtitutione, ac dignitate deſciſcunt, quemadmodum in reliquis uſu venire animalibus novimus, quae a nativa corporis firmitate, atque elegantia degenerant, niſi ex diverſo armento maſculi admiſſarii adducantur (2). Quam vero dirimentibus illis matrimonium impedimentis *crimen, et raptum* vulgò nuncupatis cauſam dandam eſſe quis putet, niſi eò potiſſimum, quod adulteria, homicidia, graviſſimaque illa, quae ex im-

ſet utilis et honeſta concordia diverſarum neceſſitudinum vinculis necterentur nec unus in una multas haberet, ſed ſingulae ſpargerentur in ſingulos, et ſic ad ſocialem vitam, diligentius colligandam plurimae plurimos obtinerent. Pater quippe et ſocer duarum ſunt neceſſitudinum nomina, ut ergo alium quiſpiam habeat Patrem, alium ſocerum numeroſior ſe caritas porrigit.

(1) Div. Thom. quaeſt. 154. art. 9.

(2) Michaelis Moſaiches Rect. et lib. cui tit. Recherch. Philoſoph. ſur les Aegipt., et les Chin.

impuris hujusmodi geminis fontibus in Rempublicam manant pestes, atque exitia tollantur, atque eradicentur? Quid *de cultus disparitate*, cujus inducendae ratio eo referri unicè debet, ne jurgia, atque discordiae, quae ex Religionis diversitate plerumque nascuntur, Rempublicam perturbent, et Religio ipsa, cujus vindices, tutoresque constituti divinitus sunt Principes in maximum discrimen vocetur? Quid *de voto, et sacro ordine*; quorum non ex propria natura, atque indole, sed ex communitatis eorumve, qui communitati praesunt, legibus, institutisque matrimonium dirimitur, quibus obligatos voto, atque sacerdotio homines ad contrahendas nuptias majori proposita Reipublicae utilitate inhabiles efficiuntur. Dirimentes namque illas matrimonium leges *votum, et sacrum ordinem* ab impensiori publicae utilitatis ratione profluxisse vel iis omnibus, quos non adeo aversa vidit minerva, notum exploratumque est. Sapientissimo nempè naturae praecepto institutum est, ut mas, et foemina ad mutuam suipsius conjunctionem, sobolisque procreationem praecipiti quodam impetu ferantur, atque abripiantur. Hac naturae lege universi homines obstringuntur, quemadmodum ex intimo doloris sensu, et suavioribus, quibus quisque ducitur, voluptatis illecebris, ipsaque humani corporis constitutione perbellè colligitur. Ex hoc namque universae hominum societatis propagatio, conservatio, utilitas, felicitasque pendet. Cum igitur omnes homines ad ineundum matrimonium, quo totius communitatis conservatio, atque incolumitas vertitur, naturali jure obligentur, omninò sequitur, ut quempiam ad contrahendas nuptias inhabilem facere sit contrà naturam, eamque quae naturam maxime attingit,

 hu-

humani generis societatem. Sed incidunt saepe tempora cum ea, quae videntur naturae aliena, commutantur, fiuntque contraria. Eadem namque naturalis lex, quae contrahendum universis hominibus matrimonium praecipit, jubet, ut majori societatis, ac Reipublicae utilitate proposita, quò certe omnes naturae leges referuntur, a consueta Regulae praescripto recedatur, eaque ineatur, quae Reipublicae conducibilior futura sit, ratio. Quare cum tempora commutantur, commutatur officium, et non semper est idem, quaeque ad veritatem, fidem, aequitatem, honestatem, aliasque Naturae Regulas persequendas attinet, ea migrare interdum, et non servare sit justum.

Quamquam igitur universi ad ineundum nuptiale foedus homines naturà praecipiantur, si tamen fieri possit, ut ex aliqua Civium parte maritali soluta nodo majus aliquod, atque insignius in Rempublicam emolumentum obveniat, tunc Societas ipsa, quique Societati praesunt sapientissimis illis, quae uberiorem semper Reipublicae utilitatem spectant, naturae legibus jubentur, ut illa hominum pars, quae connubialibus vacua curis solidiora Civitati commoda ferre possit, ad paciscendas nuptias apta nullo modo efficiatur.

Profectò suà cuique Reipublicae Religio est, in qua et Reipublicae, et Civium salus, atque utilitas potissimum cernitur. Inanis quodammodo, et supervacanea jaceret in tenebris ipsamet Religio nisi magistri, atque interpretes haberentur, qui divina illius arcana evolverent, atque explanarent, quique parvulos illos igniculos, atque innata semina virtutum, quae impotentes effrenaeque libidines blandissimae illae animi dominae adolescere non sinunt, ipsa Religione duce excitarent, atque pro-

promoverent, easque, quae Civilem Societatem vehementer pervertunt, coercendas esse docerent Cupiditates, et Vitia. Enim vero cum domesticae, et maritales curae, quae animum huc illuc rapiunt, nec unquam respirare sinunt, sacros hosce interpretes, atque magistros deterrere valeant, quominus Religioni, ex qua tot tantaque in Rempublicam bona proficiscuntur, impensius studeant, necesse cum primis fuit, ut societas, quive societatem moderantur eos sacerdotio praeditos, votoque obstrictos a connubiali sanciendo foedere prohiberent, qui diligentiorem subinde Religioni operam daturi majoribus Reipublicae utilitatibus, commodisque parerent. Ex unica igitur publica utilitate, qua solum proposita a naturali lege discedere licet effectum est, ut qui sacris initiati fuissent; nec dulces natos, nec mollia Veneris praemia noscerent.

Ex quibus omnibus hucusque disputatis illud aptissime conficitur quod publica utilitas, pax, atque tranquillitas, prudensque eradendorum stuprorum, incestorum, necnon glíscentium in Reipublicae perniciem discordiarum ratio praecipuae stetere causae, cur ea quibus nuptialis dirimitur pactio, impedimenta constituerentur. Jam vero cum rei administratio publicae ejusque promovendae felicitatis, tranquillitatisque studium, et cura ad Supremam Principum Potestatem pertineat, perspicuum est, illorum esse muneris, ut eae, de quibus hactenus disseruimus, dirimentes matrimonium leges praescribantur.

Adde, si lubet divinitus praepositos Christianae tuendae Religioni Principes atque Reges, maximaque proinde ab iis enitendum opum vi, ut Religio, eaque, quae ad Religionem attinent, sanctiori.

ctiori, quo fieri possit, cultu studioque tractentur. Cum autem nonnulli ex universa Republica cooptentur ministri, quibus Religionis actio, procuratioque potissimum demandatur, consequens est, ad Principes, Regesque divinos illos Religionis Patronos, atque tutores omninò spectare, ut qui altissimis ejus officiis funguntur ministri accuratius sanctiusque, Religioni ipsi operentur, eaque removeantur quae a sacris hujusmodi alacrius obeundis muneribus animum possent abducere. Quoniàm verò tum maritales curae, tum domestica negocia quae mortalium animos vehementer afficiunt, maximum sanctissimis illis ministris allaturae fuissent impedimentum, quominus diligentiorem, expeditioremque Religioni operam darent, hinc jure, meritoque factum est, ut qui Religionis defensores constituti a Deo ipso fuerant Reges, ac Principes, caverent, ut praestantes sacerdotali dignitate viri ad servandam magis, magisque Religionis sanctitatem fastidiosis celibes mulieribus vitam traducerent.

Age porrò, et rationem, modumque, quo impedimenta matrimonii matrimonium dirimant, evolvamus ut Regia in matrimonium potestas vel maxime deprehendatur, atque confirmetur.

Duplici namque connubiales quaecumque pactiones infirmantur via, quarum altera in eo versatur, ut magistratibus negocium detur, quod hujusmodi pactiones certas inter statasque personas initae prò infectis habeantur, altera vero eo potissimum spectat, ut cives ad nuptiales hasce faciendas pactiones inhabiles omnino reddantur. Quae cum ita se habeant, quis per Deum hominumque fidem, magistratibus praecipere poterit, ut connubialia infecta faciant pacta, quae certas inter per-

sonas

ſonas inita reluctante lege fuerint, quis conſenſum civium irritum, vanumque reddet, quis non aptos omnino cives ad contrahenda pacta efficiet, quis denique ſuſceptos ex innuptis hiſce nuptiis natos, inceſtos, ſpurios, paternorumque bonorum exheredes pronunciet, niſi qui magiſtratibus, et civibus praeſunt Principes, atque Reges, quibus ſanctiſſima Deus ipſe tribuit majeſtatis jura, ut opportuna, ac per utili legum latione ſubditas ſibi gentes regerent, eamque illis pararent, quae Civili ſummopere eſt apta ſocietati, pacem atque utilitatem.

Quod ſi auctoritatibus hanc rem confirmandam quis putet eſt nobis auctor vir doctrina, et ſanctitate clarus Thomas Aquinas (1). Eſt doctrina ſingulari, ſummoque ingenii acumine eximius Petrus Sotus (2), eſt et Ambroſius Catharinus

(1) In 4. Senten. diſtin. 34. quaeſt. unic. art. 1. *matrimonium autem in quantum eſt officium naturae ſtatuitur jure naturae in quantum eſt officium communitatis, ſtatuitur jure Civili, in quantum eſt Sacramentum ſtatuitur jure divino: et ideo ex qualibet dictarum legum natura, humana, et divina poteſt perſona effici ad Matrimonium illegitima. Et diſtin. 36. art 5. in corpore dicendum, inquit quod matrimonium cum ſiat per modum contractus cujusdam, ordinationi legis poſitivae ſubiacet ſicut et alii contractus.* Vid. quoque. lib. 5. contr. gent. cap. 78.

(2) Lec 4 de matr. *Poſſunt etiam poſitiva jura illegitimos aliquos reddere.... Unde beatus Thomas ſupradicta intrepide aſſerit, jura ipſa Civilia, et Imperatoris leges illegitimos aliquos reddere ad contrahendum: ita videlicet ut nullum ſit matrimonium, neque negant hoc alii, quamquam non ita apertè aſſerant: Et certe hoc eſt ſolidiſſime fundatum in illo verbo Evangelii: quod Deus conjunxit homo non ſeparet. Deus enim per cauſas naturales, et ordinatas humanos contractus perficit, id eſt auctoritate legum ſicut naturales res per cauſas naturales. Non itaque Deus conjunxit, quod contra juſtas leges humanas conjungitur. Hoc dicimus quoniam ju-*

nus (1), qui duo Tridentino interfuere Concilio, est eruditissimus Christianus Lupus (2) est praestantissimus inter eos qui morum Doctrinam tradunt Jacobus Hennequinnus (3) est doctissimus Petrus Cornejo (4), est

juristis multis visum est, non esse potestatis saecularium legum Matrimonium nullum reddere, sed tantum Ecclesiasticarum. Et certe Juristae nulla auctoritate juris Divini, aut Canonici hoc probant, nec etiam ulla efficaci ratione: nec advertunt nibil per hoc derogari auctoritati Ecclesiasticae, sed potius conducere Ecclesiae paci.

(1) Opuscul. de clandest. coniug. Romae editum cum privileg. Julii III. *Quidquid non est*, inquit, *contra legem Dei, ac legem naturae credo Principes posse circa Matrimonium tamquam circa suam, et non alienam materiam suis legibus providere, et ita latam ab eis legem valuisse puto, qua irritabantur matrimonia non consultis parentibus contracta.*

(2) Differt. 1. proem. cap. 10. Prefixa tom. 3. Scholion. inCanones *Etenim* scribit ille, *matrimonium, quod non solum Christianum Sacramentum est, sed et civilis contractus dirimentia impedimenta statuere dudum sibi arrogarunt, et reservarunt Christiani Romanorum Augusti.*

(3) Lection. de Matrim. .. *Possunt Principes laici independenter ab auctoritaté. et approbatione Principum Ecclesiasticorum prò varietate locorum, temporum, personarum in suo, seu Reipublicae saecularis regimine saeculari connaturaliter, et correlative ad suum finem, et scopum proprium, et distinctum, videlicet saecularem ferre leges Civiles, id est ad pacem, et tranquillitatem, et bonum Reipublicae pertinentes, quibus ut alios contractus Civiles, ita Matrimonium contractum Civilem (cum utrinque communis utilitas saecularis postulare queat) suorum subditorum imbaptizatorum, et Baptizatorum, quatenus potius corporis, et status Civilis; Membrorum partium, Civium, probibeant, et dirimant.*

(4) Tom. 2. in 3. part. tract. 11. disp. 7. dub. 3. de imped. matrim. concl. 1. *Princeps saecularis, sive Christianus, sive Gentilis ex natura suae potestatis habet posse hujusmodi impedimenta apponere, quia omnes contractus Civiles, et bumani in bonum Reipublicae ordinati debent subiacere potestati Civili*

eſt praeſtantiſſimus Michael Rabardeus (1) eſt graviſſimus ille, quem honoris cauſa nomino, Van Eſpenius (2), eſt et ipſe ſi ſuperis placet, Sanchezius, qui quidem omnes in eam pedibus manibuſque ſententiam diſcedunt, quod ſummo cuique Principi integrum ſit, dirimentes de matrimonio veluti, humana quadam pactione leges ad arbitrium decernere. Quid vero? nonnè et univerſa illa quibus nunc utimur, dirimentia Matrimonium impedimenta ex ipſis Principum, atque Imperatorum conſtitutionibus ſuo quodam veluti ſincero fonte fluxerunt? Quis enim fratres, et ſorores, quis fratris, et ſororis filias, quis conſobrinos, ſobrinoſque nullo matrimonii foedere conjungi poſſe ſancivit? Quis propinquitatem ex adoptione provenientem invexit,

vili Principis, ut eo ipſo, quo incipiant eſſe nocivi communitati irritentur. Sed matrimonium eſt contractus humanus, et Civilis; ergo cum maxima boni communis pars conſtet ex contractibus debent cadere ſub regia poteſtate. Confirmatur, quia de facto plures Civiles leges extant, quibus aliqua matrimonia prohibentur. Confirmatur ſecundo, quia poteſtas Civilis Regis, et Reip. poteſt irritare, et de facto irritat plures contractus Civiles..... ergo et ſimiliter poteſt irritum facere contractus matrimonii ſine hac vel illa ſolemnitate.

(1) In eo, quem de legum connubialium defenſione, libello edidit haec ſcribit. *In hac contraverſia de poteſtate Regum, et aliorum ſummorum Principum quo coſtituendis, et modificandis impedimentis, quibus matrimonia ſubditorum ſuorum etiam Chriſtianorum, et Catholicorum illegitima irrita, et nulla definiantur, non unus, ſed quod fatentur adverſarii plures viri ſanctiſſimi, atque prudentiſſimi in doctrina Chriſtiana in Theologia, et utroque jure periſſimi, aperte docent, Imperatoribus, Regibus, et quibuſcumque Principibus ſaecularibus ex natura ſuae dignitatis conceſſum eſſe jure quodammodo naturali, vel gentium poteſtatem condendi, et promulgandi leges, quibus haec matrimonia rata, firma, valida, ſeu irrita, nulla, et invalida efficiantur.*

(2) Part. 2. tit. 12. §. 3. et 9. de imped. matr.

xit, et sapientissimis quibusdam limitibus definivit? Quis ortam ex Baptismatis et confirmationis administratione vel ex baptizati confirmatique susceptione cognationem induxit dirimentemque de matrimonio legem constituit? Quis socerum, et nurum, quis generum, et socrum, quis vitricum, et privignam, quis privignum et novercam, quis fratrem, et fratris uxorem et uxoris sororem, quis filium, et patris pellicem a mutuo Matrimonii vinculo prohibuit, initumque lata lege diremit? Quis umquam cavit, ne Judaeus cum Christiana, et Christianus cum Judaea matrimonium jungat, quis filium, Patris, et Patrem, filii sponsam, quis raptorem raptam, quis adulterum adulteram, insidiasque marito proci ergo parantem mulierem, quis voto obstrictos Monachos, caeterosque Sacris adscitos ordinibus homines uxorem accipere vetuit? Quis denique sacra geminos lustrandos esse sponsos aqua ad hoc, ut suas Matrimonium vires haberet, sancivit, nisi veteres Romanorum, Graecorumque Imperatores, Theodosii, Valentinianus, Honorius, Arcadius, Justinianus, Leo, aliique sane plurimi, quorum Sapientissimas hac de re constitutiones exploranda opportunius dirimentium Matrimonia legum historia, satis abundè persequemur. Neque Romani, Graecique solum Imperatores, verum alii, atque alii Christiani Principes atque Reges supremam in Matrimonium potestatem retinuerunt, latisque legibus confirmarunt. Quid enim Childerbertam, Clotarium, Charibertum (1) caeterosque Gallorum Reges memorem, qui contracta invitis Parentibus Filiorumfamilias Matrimonia infecta reddiderunt? Quid Carolum Calvum (2) qui subditarum sibi gentium cum Nortmannis

(1) Vid. Conc. Turonens. 2. can. 20.

(2) Edict. Pistensi n. 31.

mannis connubia prohibuit, atque irrita declaravit? Quid Carolum Magnum, qui in ſuis Capitularibus tot tantoſque de nuptiali pactione leges conſtituit? (1) Quid Ludovicum, qui initum ipſo inſciente ſe Gaſtonem inter Aurelianenſem Ducem, et Margharetam Lotharingam Matrimonium cuncto Pariſienſe ſuffragante Senatu diſtraxit? (2) Quid Reccaredum Gothorum in Hiſpania Regem, qui variis propinquorum nuptias legibus interdixit, negocio magiſtratibus dato, ut qui contra Regium edictum connubiali ſociari foedere auderent, continuo ab hujuſmodi vitae conſortio divulſi in Monaſteria perpetuò relegarentur? (3) Quid Luitprandum Longobardorum Regem, qui nullum a conſobrino ſobrinove, viduam uxorem ducere Romano ipſo rogante Pontifice Gregorio II. cavit eorumque, qui filium ex ſacro fonte ſuſcepiſſent, Matrimonia graviſſimis irrogatis poenis vetuit, atque infecta pronunciavit? (4) Quid auguſtiſſimum Imperatorem noſtrum Joſephum II., qui celebrem Divina pene dixerim quà praeſtat, ſapientia connubialium legum Codicem edidit? Quis illo, Dii boni, Sapientior, quis prudentior, quis juſtior, quis aequior, quis clementior, quis ſeverior verae, germanaeque Religionis cuſtos, quis praeclariſſimis aliis, quae ad Reges pertinent, virtutibus ornatior, atque inſtructior? illum Deus Opt. Maximus diu ſuperſtitem ſervet, ſoſpitem ſervet, felicem ſervet! Si igitur tum ſolidiſſima rationum momenta, quibus diri-

(1) Lib. 5. et 6. Capitul.

(2) Vid. Senatus Pariſienſis monumenta ann. 1634. qui declaravit: *Matrimonium, quod Aurelianenſis Dux Regis Frater unicus cum Margaretha Lotharinga contraxit, nullum et invalidè contractum eſſe.*

(3) Lib. 3. cap. 1. tit. 3. leg. Wiſigot.

(4) Lib. 7. cap. 4. et 5. legum longob.

dirimentia Matrimonium impedimenta nituntur, Reipublicae nempe utilitas, Pax, atque incolumitas, tum modus, quo hujusmodi impedimenta matrimonium dissolvunt, quò scilicet inhabiles ad paciscendas nuptias Cives fiunt, tum gravissimae sapientissimorum hominum auctoritates, nec non locupletissima rerum facta Regiam in Matrimonium Potestatem apertissime demonstrant, atque confirmant, quis unquam tam praejudicatus Tyberis potor, quis tam refractariae, protervaeque mentis homo, quis tam lividus obtrectator erit, qui jam non fateatur, quod indè certissime, ac manifestissime sequitur, eam Principibus inesse potestatem, quà dirimentes illas, prout varia Reipublicae tempora postulaverint, Matrimonio leges praefigere liceret? Vos ò post Deum primi, antes omnes, et super omnes Deos a Deo secundi, solo Deo Minores, et a Deo constituti Principes atque Reges eja agite longoque nimium emersi veterno Supremum illud in conniubialem pactionem divinitus vobis tributum jus in libertatem vindicate, securi prorsus verborum, illarumque Sententiarum, quas non amica et candida veritas, non pura, simplexquae Religio, sed vana superstitio, sed fallaci Pietas medicata fuco, sed acerrimum Pontificiae Curiae studium, sed impotens Romanae purpurae libido cum primis extorquet. Hoc namque Suprema illa, qua stipati divinitus estis Majestas, hoc familiarum pax, atque tranquillitas hoc universae Reipublicae salus postulat, hoc denique vos monent, atque urgent Sanctissima illa vestrorum majorum exempla, quì vel ab antiquissimis usque temporibus varias dirimentesque de nuptiali conventione leges promulgarunt.

CAP. II.



CAP. II.

Neque Ecclesia, neque Romani Pontifices Supremam dirimentia matrimonium impedimenta constituendi potestatem habent.

PRoh miserrimam, infelicissimamque veritatis conditionem, quae sua licet ipsa pulcritudine, ac dignitate, aliarumque eximio, quo stipatur virtutum choro universos mortalium animos in sui amorem, admirationemque convertat, eam tamen, quà nihil supra, cultoribus suis parit invidiam, simultates, et odia! Quod certè in difficillima hac, aleaeque plena, quam aggredior, provincia facturum quam maximè sentio, gravissimasque memetipsum inimicitias, turbolentissimasque subiturum tempestates, quae aestuanti Tyberino flumine adversus me, meumque caput redundabunt. Verum non mordaces invidiae dentes, non acerrimi obtrectatorum impetus non odia, non convicia, non furentes, quos longe prospicio, fluctus tenacem propositi virum mente quatiunt solida; fractusque potius cervici illabatur orbis, quam te, candida veritas violem, aut tua jura resolvam. Vos imo, quotquot estis obtrectatores Curiaeque Romanae addicti, hujusmodi, quae-

cumque

cumque futura sit, disputationis Judices appello atque constituo. Verum a vobis antequam de ipsa causa dicere incipio, haec postulo; primo id, quod aequissimum est, ut ne quid huic praejudicati adferatis, etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen Judicum amitteremus, nisi hic ex ipsis causis judicabimus, ac si ad causas judicia jam facta domo deferemus. Deinde si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si ratio labefactabit, si denique veritas extorquebit, ne repugnetis eamque animis vestris, aut libentibus, aut aequis remittatis. Sed jam ad rem citato gradu properamus.

Quae modo disputanda suscipio ex iis apprime consequi, quae superiori capite confecimus, facile quisque intelligit, qui vel ipsa Dialecticae rudimenta primoribus labris degustaverit. Si enim, ut suprà demonstratum est, suprema illa in connubialem pactionem potestas ad Principes, Regesque nativo, proprioque jure pertinet optima concludi ratione potest, nullum Ecclesiae, Romanisque Pontificibus jus esse quo dirimentia matrimonium impedimenta constituant, nam ut ipse fatetur Bellarminus (1) *Eadem potestas ad duo diversa Tribunalia aeque immediatè, ac propriè pertinere non potest*. Et requidem vera duas Sapientissimus rerum omnium opifex Potestates instituit, Civilem, atque Ecclesiasticam, quibus universus terrarum orbis regeretur (2). Ita vero

(1) Lib. 1. de Matrim. cap. 21.

(2) Gelas. Pap. epist. 8. ad Anastasium. Imper.: *Duo sunt quibus principaliter mundus bic regitur, auctoritas Saera Pontificum et regalis Potestas*, et post alia *Si enim quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae, cognoscentes imponunt tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent*

vero actibus propriis, et dignitatibus distinctis amplissima illa utriusque potestatis officia discrevit, ut quae ad salutem necessaria forent sempiternam ecclesiasticae potestati committerentur, ea vero, quae ad civilem componendum reipublicae statum pertinerent, Regum, Principumque crederentur imperio. Quin imo et illud divina factum sa-

rent Religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusae videantur obviare sententiae; quo rogo te decet affectu eis obedire, qui praerogandis venerabilibus misteriis attributi sunt. et de Anathem. Vinc...... *Christus memor fragilitatis humanae, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut et Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur.*

Nicolaus Pap. epistol. 8. ad Michaelem Imperatorem. *Sed cum ad verum ventum est, eumdem Regem, atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit, quo niam idem mediator Dei et hominum Homo Christus Jesus sic actibus propriis, et dignitatibus distinctis officia utriusque potestatis discrevit; ut et Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro temporalium rerum cursu Imperialibus legibus uterentur.*

Idem quoque a Gallicano Concilio, statutum fuit quod apud Sanctam Macram in pago Remensi coactum est an. 881. cap. 1. *Haec enim sunt Sacerdotalis officii, et regii ministerii: quia sicut in sacris literis legimus, duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regia potestas. Solus enim Dominus noster Jesus Christus vere fieri potuit Rex, et Sacerdos. Post incarnationem vero Domini, Resurrectionem, et Ascensionem ejus in Coelum, nec Rex Pontificis dignitatem, nec Pontifex regiam potestatem sibi usurpare praesumpsit. sic actionibus propriis, dignitatibusque ab eo distinctis, ut et Christiani Reges pro aeterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro temporalium rerum cursu regum dispositionibus uterentur.*

ſapientia eſt, quod Principes in iis, quae ad aeternam ſalutem ſpectant, Eccleſia atque Epiſcopis indigerent, Eccleſia vero, caeterique ſacerdotes in iis, quae ad civilem inſtituendam conſervandamque rempublicam attinerent, Regibus, ac Principibus indigerent, eorumque legibus, inſtitutiſque venerabundi uterentur.

Porrò cum nuptialis pactio juxta ac reliqua omnia humana conventa et quidem prae caeteris, uti ſuperius oſtendimus, ad civilem, politicamque rempublicam, ejuſque incolumitatem, tranquillitatemque pertineat, imo neceſſarium ſit univerſae hominum ſocietatis principium, et totius ſeminarium Reipublicae ſequitur, ut non Eccleſia, non Romani Pontifices, non alii quicumque Epiſcopi, utpote chriſtianorum ſacra duntaxat informandis doctrina animis deſtinati, ſed ſoli Principes, Regeſque quibus civilem adminiſtrandam rempublicam, civileſque moderandas conventiones permiſit Deus Opt. Maximus, abſoluto proprioque in nuptialem conventionem jure divinitus donentur, iiſdemque adeo Eccleſia, atque Pontifices dirimentibus, quas matrimonio appoſuerunt Principes, legibus indigeant, atque utantur eo prorſus modo, quo civilibus aliis, quae ad venditionem donationem, caeteraque hominum moderanda pacta referuntur, conſtitutionibus indigent, atque utuntur. Quamobrem ſicuti vituperandi, damnandique forent Reges, ac Principes illi, qui hujuſmodi divinitus ſancito ordine perturbato de ſacramentis, iiſque, quae ad divina interpretanda, declarandaque dogmata ſpectant, cognoſcere vellent, ita quoque maximo Eccleſiae, ejuſque miniſtrorum dandum vitio foret, ſi divino illorum ordine ſusdeque verſo ſupremam

in connubialem conventionem, potestatem nativo, proprioque sibi jure vindicare contenderent.

Enim vero intimam Ecclesiae naturam, atque notionem evolvamus, exploremusque, ut inde cognosci, ac percipi possit, an Ecclesiae, ipsius inspecta natura, atque institutione, nativa illa dirimentes matrimonium leges ferendi potestas insideat. Hoc sane, ut assequi liceat, nulla alia tutior, certior, atque expeditior praesto via est, quamquod divina consulere oracula, ipsoque Christi ecclesiasticae potestatis elementa, atque principia jacentis ore pendere sit volupe. Prima igitur potestas, quam universae personam Ecclesiae gerentibus Apostolis impertivit Christus eo potissimum spectat, ut Gentes Evangelium docerent, sanctissimaque Baptismatis aqua abluerent (1). Altera Petro, caeterisque Apostolis tributa a Christo potestas fuit, qua universo hominum generi vel peccata remitterent, vel retinerent (2). Tertia divinitus Apostolis collata potestas ad conficiendum Eucharistiae Sacramentum pertinet (3). Quarta Ecclesiae a Christo potestas credita, perditissimorum illorum hominum, qui Ecclesiae dicto audientes esse detrectassent, poenas spectat (4). Ex quibus Joannis, verbis palam fit, omne illud, quo uti valet Ecclesia, poena-

(1) Matth. cap. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in Coelo, et in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

(2) Joan. c. 20. *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto, quae cum dixisset, insufflavit in eos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* et Matth 18.

(3) Luc. c. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

(4) Joan. 10. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi ethnicus, et publicanus.*

rum genus eò referri, ut qui surdas dulcissimis Ecclesiae vocibus aures accommodarent, a divina illius societate, convictuque prohiberentur. Sileant igitur atque obmutescant qui civiles infligendi poenas Ecclesiae potestatem inesse balbutiunt, cum nullam certè aliam ipsi Christus tribuerit, quam ut procaces illius obtrectatores pro Ethnicis, ac Publicanis haberet more, institutoque Hebraeorum, qui nulla cum hujusmodi hominum genere consuetudine utebantur. Quapropter Apostoli dum profligatissimos perditissimosque homines horrendo anathematis fulmine feriebant, non eos corporeis, Civilibusque multabant poenis, sed indignos declarabant, qui commune cum veris Christianae Religionis cultoribus aevum transigerent. Denique alia Apostolis divinitus accepta potestas ad Divina interpretanda, declarandaque dogmata, et ministrorum creationem attinet, qui sacra hominum animos doctrina pascerent, ipsamque Ecclesiam regerent, atque moderarentur (1). Mitto potestatem miracula patrandi, daemenes ejiciendi, morbos fugandi, quae cum Apostolis ipsis tributa ad tempus fuerit, nunquam ad illorum successores permanavit. Ex quibus omnibus huc usque disputatis abundè liquet, ecclesiasticam potestatem, sanctissimis quibusdam, praeceptis, institutisque, quibus ad aeternam felicitatem humanus imbuitur animus, necessariis quibusdam veluti elementis conflari, quemadmodum et Apostolus Paulus testatum reliquit (2). Cum igitur consilia, blandaeque preces, suavesque objurgationes animum, ac voluntatem

(1) Joan. 22. *Pasce oves meas*. et Paul. Hebr. 13. v. 17. *Obedite praepositis vestris, ipsi namque invigilant, quasi rationem de animabus vestris reddituri*.

(2) *Argue obsecra, increpa cum omni patientia*.

tatem quae nullum sane dominum, nullamque patiuntur jurisdictionem, continuò petant, consequens omnino est, nullam Ecclesiae, universoque sacerdotali ordini inesse dominationem, jurisdictionemque, quam ubi exerceant, nihil habent, eoque magis quod omnis consilii, doctrinae, suaviorisque admonitionis vis, et ratio omnem imperii, ac dominatus imaginem, umbramque prorsus abjicit. Verum quid exquisita ad hoc argumenta altius ducere juvat, si nulla Ecclesiam dominatione potiri suo Christus ore pronunciavit? Hoc namque edixit, dum suum de hoc mundo regnum non esse declaravit (1). Hoc dum Apostolos monuit, Regum, ac Principum, non ipsorum esse, qui in homines imperium exercerent (2). Hoc per Apostolum Paulum, qui nullum in Fideles regnum habere conceptis verbis testatus est (3). Hoc per Sanctissimum Apostolorum Principem Petrum, qui universum sacerdotum ordinem monet, christianum dulci pascendum esse doctrina gregem, quin ullum in divinis suggerendis pabulis dominationis, imperiique vestigium eluceret (4). Quid certissimis ipsius Christi Verbis clarius, quid magnificentius, quid sanctius exoptari, aut inveniri poterat, quibus nullam Ecclesiae, ejusque ministris civilem adesse jurisdictionem, atque imperium, eamque, qua ipsa instruitur, potestatem benevolentia, charitate, mollibusque suasionibus, ac consiliis inniti

 Iu-

(1) Joan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.*

(2) Marc. 10. v 42. *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Luc 22. v. 25. Matth. 22. v. 25.

(3) Paul. 2. ad Cor. 1 23. *Non dominamur fidei vestrae.*

(4) Petr. Epist 1. cap. 5. v. 2. *Pascite. qui in vobis est gregem Dei. non coactè, sed spontaneè secundum Deum neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

luculentiſſime demonſtraretur. Quid nunc Auguſtinum (1) quid Chriſoſtomum (2) quid Origenem (3) quid Bernardum referam (4), qui quidem omnes, aliique ſane plurimi divini inſiſtentes magiſtri veſtigiis omnem Eccleſiae, Romaniſque Pontificibus dominatum abjudicarunt. Maneat igitur, quod Eccleſia, Romanique Pontifices omni prorſus dominatione carent, eaque ſolum poteſtate praeſtant, quae dulcibus hortationibus, lenibuſque obiurgationibus, conſiliiſque ſuis quibusdam veluti elementis, fundamentiſque continetur. Hiſce ità diſputatis, factu-

(1) Auguſt. tract. 15. in Joan.

(2) Chriſoſt. lib. 2. de Sacerdot.

(3) Origen. in Matth.

(4) Bernard. conſ. lib. 2. cap. 6. Sic ad Eugenium Papam ſcribit. *Nec enim tibi ille Petrus dare, quod non habuit, potuit, quod habuit hoc dedit, ſollicitudinem ſcilicet ſuper Eccleſiam, numquid dominationem? Audi ipſum; non dominantes, ait, in Clero, ſed forma facti gregis ex animo; et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Evangelio: Reges gentium dominantur, vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, et tibi uſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicum dominatum. Planè ab alterutro prohiberis, aut ſi utrumque habere ſimiliter velis. perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus: Ipſi regnaverunt, ſed non ex me. Principes extiterunt, et non cognovi eos. Jam ſi regnare ſine Deo juvat, habes gloriam, ſed non apud Deum. At ſi interdictum tenemus, audiamus edictum. Qui major est veſtrum, ait, fiat ſicut minor: et qui praeceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. Forma Apoſtolica eſt haec. Interdicitur dominatio, indicatur miniſtratio, commendatur ipſius exemplo Legislatoris, qui ſecutus adjungit: Ego autem in medio veſtrum, ſicut qui miniſtrat. Quis jam ſe titulo hoc inglorium, putat, quo ſe prior Dominus gloriae praeſignavit? Merito Paulus gloriatur in eo dicens; Miniſtri ſunt, et ego, addit, ut minus ſapiens dico. plus ergo in laboribus plurimis, et in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. O praeclarum Miniſterium!*

factum me operae pretium duco, si antequam ultra progredior, dirimentis Matrimonium legis vim introspiciam, ut quantum ipsa imperii, dominationis, civilisque jurisdictionis arguat, intelligatur. Haec igitur lex omnium praecipua, ac praestantissima familiarum tranquillitatem, haec majora, solidioraque Reipublicae bona, haec universae hominum societatis, conservationem, atque incolumitatem attingit, haec omnium acerrima, ac severissima naturalem hominis libertatem quam maximè coercet, haec miserrimos conjuges a teneris illis amplexibus, quos nec natura, nec Deus umquam vetuit, quos pacta fides quos blandissima illa animi domina voluptas formavit, atque elaboravit, impotenti illata vi, armataque manu, abducit, abripit, avellit, haec reddit infectum, quod factum est, haec inauspicato junctos connubio turpissima ignominiae nota inurit, haec natos, spurios, illegitimos, infames, paternorumque exhaeredes bonorum decernit, omnibusque Reipublicae muneribus, ac dignitatibus excludit. Quae nam Dii immortales, alia inveniri potest lex, quae ad civilem reipublicae Statum adeo pertineat, quaeque sit tam vehemens, ac severa, tantumque prae se vim ferat imperium atque dominationem.

Si igitur Ecclesia, Romanique Pontifices, ac caeteri omnes Episcopi ea solùm praediti potestate sunt, quae ex blandis precibus, suavibus objurgationibus, mollibus doctisque consiliis hominum animos ad ardentissimum Christi domini amorem inflammantibus constituitur, quomodo dirimentem illam constitutere ritè poterunt Matrimonium legem, quae ex civium ratione, dominatu, imperio, summaque prae reliquis omnibus vi constans, ab

ipsa tum suaviorum objurgationum, admonitionum, consiliorumque indole tum eo, quod haec referuntur sine, tum etiam divina illa animi, quem petunt, omnem omnino vim, ac imperium indignantis natura vehementissime abhorret? Quomodo, inquam, Ecclesiae, ejusque ministris hujusmodi condendi fas erit legem, quae civili ipsa dominatione, imperioque nititur, quod Ecclesiae, ejusque Ministris disertis verbis interdixit Christus, Regibusque sartum, tectumque reliquit.

Ex inspecta igitur ecclesiasticae potestatis natura effici cogique potest, Ecclesiam, Romanosque Pontifices nativo, ac supremo illo carere jure, quo dirimentes Matrimonium leges praescribant? Verum enim vero si ad generalia quaedam principia, quibus ipsam rerum naturam metimur, rem exigere lubeat, nullum vel ex hoc potissimum in connubialem conventionem jus adsciscere Ecclesiam sibi posse manifestissimum erit, atque perspectissimum. Et sane si dirimentia Matrimonium impedimenta ad Ecclesiam, atque Episcopos, quibus sola rerum, quae ad salutem sunt necessaria sempiternam, procuratio creditur, ex se, suaque natura pertinerent, illud vel ex principio, vel ex subjecto, vel ex objecto fieret. Principium, a quo dirimentia Matrimonium impedimenta proficiscuntur, esse potest omnibus vel fatentibus Theologis, Princeps, subiectum dirimentis matrimonium impedimenti, est civis, qui matrimonium contrahit, vel civilis ipsa conventio, quod sanè ad civilem statum attinet. Objectum vero dirimentis impedimenti vel ipsis naturalis rationis, politicaeque prudentiae finibus continetur, cum situm in in eo sit, quod vel civis majori reipublicae utilitate proposita ad ineundum nuptiale foedus

non aptus efficiatur, vel connubialis ipsa pactio tollatur. Sive igitur principium, a quo dirimentia matrimonium impedimenta fluunt, sive illorum subjectum, sive objectum consideretur, nullus dubitationi locus relinqui potest, quin illa ad civilem politicumque statum, non ad ecclesiasticam potestatem pertineant. Ergo ipsa inspecta rei natura abundanter conficitur, supremam dirimentium matrimonia legum constituendi auctoritatem, atque jus non sacerdotalem ordinem; qui rebus ad salutem necessariis sempiternam praeficitur, sed regiam illam, quae privatae familiarum concordiae, communique reipublicae utilitati semper excubat, Potestatem attingere.

Denique, ut Ecclesiam, atque illius Antistites totius in connubialem pactionem juris expertem esse magis, magisque compertum, exploratumqne fiat, varia matrimonii munera, atque officia tutissimam Divo Thoma facem praeferente distinguamus oportet. Matrimonium inquit ipse, *in quantum ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi civilis legis. In quantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet quod subjaceat regimini ecclesiastico*. Ex certissimo hoc Divi Thomae principio evidentissime arguitur, aut Ecclesiam, quique illi praesunt, nullam habere potestatem, qua dirimentia matrimonium impedimenta decernant, vel si secus, eo unicè spectare, ut Sacramentum ipsum, quod ad Ecclesiam pertinet, immutetur, vel aboleatur; hoc vero nulla hominum potestate fieri certum, perspectumque est; ergo Ecclesia, ejusque praesides nullam dirimentia matrimonium impedimenta statuendi potestatem habent cum matrimonium quatenus in naturae, et Communitatis officium institutum est, naturae, et Civili jure statuatur.

tuatur. Sed rem altius repeto, atque urgeo. Illud universos penes Christianos perspicuum est, omnia divinitus instituta Sacramenta ex tribus elementis ministro nempe, forma, ac materia constare, quibus certe positis Sacramentum perfectum est; illudque utpote a Christo institutum nulla valet unquam abolere potestas. Ergo aut Ecclesia dirimentia matrimonium impedimenta sancire poterit, vel si aliter, id certe fiet, non Sacramentum, sed unum ex tribus hisce elementis tollendo, sine quibus Sacramentum ipsum nequit existere. Profecto Ecclesia omne ministro hujus Sacramenti sacerdoti impedimentum adferet, quominus Sacramentum conficiat, at non illum ad hoc minus aptum reddere poterit, quandoquidem sacram ministri auctoritatem, utpote quae sacerdotali inhaeret personae, delere nefas cuipiam est. Neque prolatam a Sacerdote formam ad conficiendum Sacramentum minus aptam efficere poterit, quippe quae et a Christo instituta est, nec ubi dicta, indicta fieri nequeat. Sacerdos igitur, prolata forma quamvis ab Ecclesia eoque, qui altiorem in Ecclesia gradum tenet, praepeditus, Sacramentum conficiet numeris omnibus absolutum. Cum igitur Ecclesia divinam ministri auctoritatem tollere, nec formam minus aptam, irritamque efficere possit reliquum omnino est, ut videamus, an aliud elementum materia scilicet ecclesiastico infirmanda subjiciatur arbitrio. Hujus itaque Sacramenti materia in mutua civium pactione vertitur quemadmodum Tridentini docuere Patres, atque hodie fixum, ac statutum est. Duplicitur vero materia, sive connubialis conventio, ut alias ostendimus, infirmari, ac tolli potest, ubi scilicet cives ad contrahendum matrimonium non apti efficiuntur, vel

ma-

magistratibus negocium datur ut nuptialis ipsa pactio certas inter statasque personas inita, pro infecta habeatur ob eum unice finem, quò majori solidiorique reipublicae utilitati, tranquillitatique consulatur. At enim vero neque Ecclesia, neque Romani Pontifices, neque Episcopi, quibus aeterna tantùm hominum salus demandatur aliquod in civiles communitatis pactiones jus, ac potestatem habent, cum illud totum Principum, Regumque sit, qui civilium omnium pactorum moderatores, atque arbitri constituti divinitus sunt, apprime ex eo consequitur, vel ipsam Sacramenti matrimonii materiam civilem nempe conventionem non ecclesiasticae, sed regiae, ac civili penitus subjacere potestati; sed dirimentia matrimonium impedimenta ipsa solum materia innititur superius monuimus, et opportunius etiam disputabimus, et norunt omnes; ergo cum nullum ex iis, quibus Sacramentum matrimonii efficitur, elementis tollere possit Ecclesia nullum et inde sibi jus esse, quo dirimentes matrimonium leges instituat, notum, testatum, ac manifestum est. Quid vero? Nonne Sanctissimam hujusmodi veritatem agnoverunt celeberrima ipsa Ecclesiae, Concilia, Romanique Pontifices, ac caeteri, Episcopi qui nullam dirimentia matrimonium impedimenta sanciendi potestatem habere locupletissimis argumentis factisque apertissime confirmarunt.

Cur enim praestantissimi illi, qui Moguntino praefuere Concilio Patres egregium illum Canonem, quo variae consanguineorum, cognatorumqe conjunctiones vetabantur, Imperatoris oculis ac cogitationi subijciunt, ut correctione, si opus fuisset, adhibita, regali auctoritate firmaretur, isque veluti lex Christianis omnibus obser-

ſervanda proponeretur? (1) Cur Arelatenſes Patres ea omnia, quaecumque de dirimentibus conſobrinorum, aliorumque propinquorum matrimonium impedimentis decreverant, ob Imperatoris oculos ponunt, ab eoque petunt, ut ſi quid deſideretur ejus prudentia ſuppleatur, ſi quid minus recte factum ejus judicio emendetur, ſi quid recte ſancitum, ejus ope, ac miniſterio perficiatur. (2) Cur Triburienſes Patres nihil de *criminis* impedimento ſtatutum voluerunt prius quam Arnulphum Regem in praefatione allocuti exorarunt, ut ſuam iis omnibus, quae adverſus teterrimum hujuſmodi crimen, aliiſque ad diſciplinam ſpectantibus canonibus poteſtatem accommodaſſet? (3) Cur Sapientiſſimi illi Galliarum Epiſcopi

(1) Sic igitur Concilii hujus Patres in praefatione alloquti ſunt Imperatorem. *De bis tamen omnibus valde indigemus veſtro adjutorio, atque ſana doctrina, quae et nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quae paucis ſubter perſtrinximus capitulis, a veſtra auctoritate firmentur: ſi tamen veſtra pietas ita dignum eſſe judicaverit, et quicquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica Imperialis dignitas jubeat emendare, ut ita emendata nobis omnibus, et cunctae Chriſtianae plebi, ac poſteris noſtris proficiant ad vitam, et ſalutem.*

(2) Arelatenſe quoque Concil. de inceſtis coniuntionibus tractaturum ſic ad Imperatorem ſcribit. *Haec igitur ſub brevitate, quae emendatione digna perſpeximus quam breviſſime adnotavimus, et Domino Imperatori praeſentanda decrevimus, poſcentes ejus clementiam, ut ſi quid bic minus est, ejus prudentia ſuppleatur, ſi quid ſecus, quam ſe ratio babet, ejus judicio emendetur. ſi quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante gratia perficiatur.*

(3) Haec illius Concilii, ad Regem ſunt verba. *Inter alia namque, quibus Divina, et bumana tractaturi erant (Sacerdotes) communi voto, et pari conſenſu de Collegio Sanctorum Sacerdotum gnaros et idoneos direxerunt mediatores ad praefatum pium Regem, inquirentes, quo studio et quali benignitate ſecundum ſapientiam, et poſſibilitatem*

ab

pi gravissimum illud negocium, in quo de celebri Northildis divortio, aliisque, quae ad connubialem pactionem pertinebant caussis agebatur, ad Imperatorem, civilesque magistratus unanimi consensione remiserunt? (1) Cur Romanus ipse Pontifex Gregorius secundus suis Longobardorum Regem Luitprandum hortatus est literis, ut nullum inter viduam, defunctique mariti consobrinum coniugium iniri permitteret? (2) Nisi ex eo potissimum, quod non ipsa Ecclesia, non Romani Pontifices, non caeteri Religionis Antistites eam sibi inesse dirimendorum connubiorum potestatem jusque senserunt, sed id totum supremae Principum majestati adeo affixum, atque insitum esse, ut nulla ab iis ratione, ac vi possit avelli. Oh ego nestoream mihi melle ipso dulciorem, aut Ulysseam nivium copiae similem eloquentiam, vel potius eloquentiae flumen optarem, ut sanctissimos hosce Episcopos, atque Pontifices, eorumque prudentiam, optimamque agendi rationem amplissimis in Coelum laudibus efferrem, atque immortalitati commendarem, qui suis contenti finibus, nec alienae jurisdictionis appetentes, qui quod Dei est, Deo, qui quod Caesaris est, Caesari reddentes, qui debito erga regiam Potestatem obsequio, ac reverentia affecti, sua de dirimentibus matrimonia impedimentis decreta Imperatorum oculis subijciunt illisque emendanda, ac corrigenda proponunt, quique adeo testatum

ab ipso Deo sibi datam Ecclesiam Christi, illi per regalem potestatem ipsis per sacerdotalem eminentiam commissam defendere, ministerium illorum amplificare, et sublimare dignaretur.

(1) Vid. Hincmar. de divort. Lothar. et Tetberg.....

(2) Lib. 7. cap. 4. Leg. Longob. *Teste Deo*, inquit Rex, *Papa urbis Romae.. per epistolam suam ad nos adhortatus est, ut tale conjugium fieri nullatenus permitteremus.*

tum relinqunt, omni ſacerdotalem ordinem in connubialem conventionem poteſtate carere, quae civili ſolum reipublicae, iiſque, qui reipublicae clavum tenent, Deus Optimus Maximus impertivit. O ſingularem tantorum patrum ſapientiam, o incredibilem caeteriſque omnibus Pontificibus imitandam prudentiam, o factum nulla unquam vetuſtate, nullaque oblivione obruendum! O vere candidi, atque aurei vere dies, o terque quaterque beata, ac fortunata tempora, in quibus non Eccleſia, non Pontifices, non Epiſcopi, quidquid Regum, ac Principum eſt ſibi vindicabant, ſed ad conſtituenda dirimentia matrimonium impedimenta paterna benignitate Reges cohortabantur! Quid ad haec invidi ſupremae Regum poteſtatis obtrectatores, quid addicti romanae curiae nebulones, quid carus ille, ac feſtivus Bizentii potor, qui praeter illa ſane plurima, quae in ſuis canonicis tradendis Inſtitutionibus adverſus Sacram Principum Majeſtatem rudit, dirimentium connubialia conventa legum inſtituendi poteſtatem per ſummam injuriam abjudicat, unique Eccleſiae, Romaniſque Pontificibus adſcribit. Ah tandem aliquando turpiſſimos illos quos cum lacte nutricis ſuxerunt, errores abjiciant, ah tandem iniurioſam Eccleſiae, ac Principum opinionem animis evellant, ah tandem turbulentiſſimis relictis Scholaſticorum, et Caſuiſtarum, ut vocant, lacunis puriſſimos naturalis rationis, et eccleſiaſticae hiſtoriae fontes accedant et tunc ea potiſſimum lactor ſpe, ut veris ſinceriſque politi doctrinis in noſtram hanc aequo, libentique animo deſcendant ſententiam quae et graviſſimis rationum momentis, et lucupletiſſimis tot tantorumque Eccleſiae Patrum factis, ac teſtimoniis, melioríque ſignatis lapillo temporibus firmatur, atque corroboratur. CAP.



C A P. III.

Nuptialem pactionem ex eo quod ad altissimam Sacramenti dignitatem Christus evexerit Civilibus minime subductam legibus Ecclesiasticaeque creditam fuisse Potestati demonstratur.

ETsi, quibus supremam in connubiale foedus potestatem ad Reges solum, ac Principes, non ad Ecclesiam, Romanosque Pontifices, ac caeteros omnes Episcopos pertinere confecimus, argumenta gravissima nostros ad incitas egerint adversarios nova tamen ipsi fingentes animo commenta, atque sophismata, è vadis emergere putant, dum nuptialem ipsam pactionem civili subductam potestati, unique commissam Ecclesiae fuisse garriuntur eo potissimum temporis, quo illam amplissima sacramenti ratione Christus donavit. His igitur nugivenduli nostri cavillationibus imperitum excantant vulgus, superstitiosumque pueris timidisque mulierculis fucum faciunt. Verum non ego illorum dolos, machinas, fallacias, atque praestigias impune longius abire sinam, sed ea, omni detracta larva vel ipsi tunicato popello ridenda, sibilandaque propinabo. Ad rem igitur, eamque paulo altius repetamus.

Pro-

Profecto vetustissima illa societatum omnium nuptialis societas in arctissima quadam jurium, officiorumque virum inter, et uxorem communicatione versatur, quae mutuae conjugum ipsorum pactioni suam acceptam refert originem. Hujusmodi connubialis conventio legibus obnoxia semper fuit adeo, ut contra leges inita nullum prorsus momentum haberet. Principio universis hominum connubiis summus ipse naturae auctor Deus leges dabat, eosque docebat quid jus, quid fas, quid ratio. Civili subinde instituta societate omnis in matrimonium potestas in Principes Regesque confluxit; eorumque fuit muneris, qui nuptialem illam, qua humana societas ac universa respublica nititur, pactionem latis legibus regerent, atque moderarentur. Quare clarissimum illud antiquitatis lumen Plato (1) scriptum reliquit, nil unquam Principibus, ac magistratibus antiquius, ac sanctius esse debere, quam ut optimis maritalem pactionem legibus, institutisque temperarent.

Ipse quoque Aristoteles in aureo illo quem de politia inscripsit libro gravissimis praeceptis abundat, quae ad ineundum bene riteque matrimonium pertinent; Reges, eosque, qui civitati praesunt, admonet, iisque crebris usurpare sermonibus solet, omnem nuptialis instituendae regendaeque conventionis curam apud eos potissimum excubare. Et sane quae gens tam inculta, tam rudis, tam immani praedita barbarie unquam fuit,

quae

(1) Dialog. 4. *Dic age per Deos, quam legis conditor primam legem feret? An non secundum naturam primum generationis in civitate principium ante omnia legibus exornabit? Principium... autem generationis omnibus civitatibus nuptiarum conventus, atque communio... Quare si nuptiales primum leges ponantur bene ad omnem civitatem recte constituendam positae videbuntur.*

quae suas de connubiali moderanda pactione leges non tulerit? Quid enim, Dii boni, Hebraeos, quid Athenienses, quid Lacedaemonios, quid Persas, quid Ægyptios, quid Romanos, quid alias memorem complures nationes, et gentes, quae varias pro diversis reipublicae temporibus de matrimonio leges condiderunt, omnemque nuptialium pactorum vim, nisi certae aliquae accessissent conditiones, infregerunt? Facilius namque invenire posses urbes muris, literis, domibus, opibus, numismate, soloque carentes, quam civitatem iis destitutam legibus, quibus connubia pro majori reipublicae utilitate regerentur, eaeque praescriberentur conditiones, sine quibus nec vir, nec uxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligeretur.

Haec igitur connubialis pactionis facies, hic status erat, dum infandos hominum labores miseratus venit in mundum Christus, variisque institutam Principum, atque Imperatorum legibus societatem, eamque, qua societas ipsa coalescit, nuptialem pactionem invenit. Caesarem legislatorem observavit, ejusque dicto verbis exemplisque audientem praebuit ipse se, suos discipulos suamque docens Ecclesiam, ut ejus exemplum sequuti amplissimae Principum potestati, legibusque subjicerentur. Hujusmodi igitur connubiali conventioni civilibus legibus, atque institutis obnoxiae divinam Sacramenti rationem imposuit Christus, eamque superiori illius natura servata, atque retenta (1) idoneam tanti Sacramenti mate-

C riam,

(1) Jacob. Hennequinus in in lectionib. de imped. matrim. ut plurimos etiam scholasticorum auctoritates rem certissimam comprobantes praeteream haec habet. *Porro accedit tum quia ex dictis hoc libro passim; maxime XIV. immo communiter ex theologis Christus matrimonium instituendo Sacramentum*

riam, ac necessarium fundamentum assumpsit. Cum autem Christus civilem matrimonii pactionem primaeva illius minime immutata natura ad sanctissimam Sacramenti dignitatem evexerit, sequitur, ut dirimentes matrimonium leges ejusmodi remaneant postquam illud Sacramenti rationem nactum divinitus fuit, cujusmodi fuerunt antequam ad illam eveheretur, sed in confesso apud omnes est, quod ante hujusmodi Christi institutionem dirimentes matrimonium leges ad supremam Principum, Regumque potestatem pertinerent, ergo et post Christi institutionem civilem eorumdem Principum, Regumque auctoritatem attingere, certum, ac planum fit. Praeterea, vel ipso sentiente scholasticorum vulgo (1) Principes irritum facere matrimonium possunt perinde ac, si Sacramentum non esset. Si igitur Principes, Regesque possunt matrimonium perinde infectum reddere, ac si Sacramentum non esset, civilis matrimonii conventio talis profecto manet accedente Sacramenti ratione, qualis antequam ipsa Sacramenti ratio

tum nihil in illo ut contractu civili immutavit, sed tantum illi, ut praerequisito fundamento necessario imposuit, trunco inseruit, principali annexuit, materiali affixit naturam, et dignitatem Sacramenti, ita ut matrimonium contractum civilem reliquerit hujusmodi post, cujusmodi erat ante sui institutionem in Sacramentum.

(1) Sanchez. lib. 7. de matrim. disp. 3. *Nec obstat Principis saecularis potestati matrimonium esse Sacramentum, quia ejus materia est contractus civilis. Qua ratione perinde potest illud ex justa causa irritare, ac si Sacramentum non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, et sic invalidum contractum redderet.*

Fillucius 2. part. de Sacram. matr. cap. 1. *Non obstat autem, quod matrimonium sit Sacramentum, quia materia, ut diximus, est contractus civilis, eaque ratione potest illud irritum reddere, perinde, ac si Sacramentum non esset.*

ratio accederet fuit, sed antequam Sacramentum matrimonio accederet Principes, dirimentes matrimonium ipsum leges condere poterant, ergo et postquam Sacramentum matrimonio accessit, dirimentes matrimonium leges condere poterunt, quandoquidem Principes, Regesque matrimonium perinde cassum efficere possunt, ac si Sacramentum non esset. Turpissimo igitur in errore versantur, qui ex addita matrimonio Sacramenti ratione supremam in matrimonium potestatem sublatam Principibus unique Ecclesiae traditam fuisse comminiscuntur. Et sane si ex eo, quod civilis matrimonii conventio ad novam Sacramenti dignitatem evecta divinitus est, civili subducta conficeretur arbitrio, illud etiam inde consequeretur, quod putealis, et fluvialis aqua, vinum, panis, atque oleum, ex quo tempore ad altissimam Sacramenti rationem illa Christus extulit, nullo amplius Principum, civilisque communitatis imperio, ac potestati subjicerentur, quo quid absurdius dici, aut fingi possit, nemo non videt. Quemadmodum igitur dum Baptismatis Extremae Unctionis, atque Eucharistiae Sacramentorum materiam, aquam, oleum, et panem, et vinum assumpsit Christus, primaevae illorum naturae nihil immutatum est, eamdemque in aquam, panem, vinum, atque oleum, ac antequam divina Sacramenti ratio illis accederet civilem Principes, Regesque potestatem retinuerunt, ita quoque et connubiale pactum idem ac priusquam Sacramenti materia efficeretur, mansit, iisdemque ac antea dirimentibus iis, quas Principes ferunt, legibus subjicitur. Quin imo si ludens aliquando puer aquam, si pistor panem, si olearius oleum, quae quidem ad conficienda Baptismatis, Eucharistiae, atque Extremae Unctio-

 nis

nis Sacramenta parata fortasse fuerint, corruperint ita efficiunt ut hujusmodi aqua, oleum, ac panis ad conficiendum rite Sacramentum apta esse nequeant absque eo quod obtrudi possit, nullam hominibus in aquam, oleum, et panem potestatem superfuisse simul, ac iis Sacramenti dignitas accepit, quis amabo, adeo ineptus, adeo animi impos erit, qui Principes, Regesque Sacramenti matrimonii materiam civilem nempe pactionem, proprio veluti obnoxiam arbitrio irritam facere posse inficias iverit, eamque, quam puer, quam pistor, quam olearius, quam caeteri homines in aquam, in panem, in oleum, licet ad Sacramenti rationem evecta ipsa fuerint, potestatem habent, Principibus Regibusque in connubialem illam, qua universa reipublicae salus, ac tranquillitas continetur, pactionem denegaverit ex eo potissimum, quod divina Sacramenti dignitate praefulgeat? Suprema scilicet illa Principum, Regumque in matrimonium potestas non ad illud, prout Sacramentum nullis hominum legibus subjectum, sed quatenus civilis conventio est, pertinet non secus, ac illa quam homines in Baptismum, Eucharistiam, ac Extremam Unctionem exercere valent, potestas non ipsam Sacramenti rationem, sed aquam, oleum, panemque prorsus attingit. In christiano igitur conjugio civilis pactionis ratio ab ipsa Sacramenti ratione distinguitur, ac separatur, quemadmodum et sapientissimi Tridentini Patres, cum clandestina matrimonia, sarcta tecta Sacramenti natura, irrita vellent declarare, duas hasce rationes distinguendas, ac separandas esse docuerunt. *Cum ibi*, iniquit Pallavicinus, *variae a variis doctoribus quaererentur rationes, quibus haud mutata Sacramenti natura, clandestinum ma-*

matrimonium posse irritum fieri, declararetur; ecce Camillus Campegius Dominicanus eam invenit, et proposuit, quae pluribus arrisit, non mutari videlicet Sacramentum, etiamsi quis efficiat, ut quod Sacramenti materia est, desinat Sacramenti materia esse. Qui autem civilem matrimonii contractum sustulerit, personas ad contrahendum reddens inhabiles continuo effecturum dixit, ut matrimonii contractus non possit amplius Sacramenti superesse materia, non secus, ac si quis efficeret, ut qui liquor vera est aqua, aqua esse desinat, non mutaturum esse dicit Sacramenti Baptismi materiam, sed effecturum duntaxat, ut quae nunc aqua ad Baptismum sufficiat, ad eumdem postea non sufficiat. Camillo Campegio, cui difficultates omnes facile solventi applaudebatur a quamplurimis, Antonius Solisius reclamavit: non quod inquiens, Campegii vera non esset speculatio, sed quod eam ad institutum applicari non conveniret, QUIA EJUSMODI CONTRACTUS MATRIMONII SIC IRRITOS, ET NULLOS FACERE, AD SAECULARES MAGISTRATUS PERTINERET. Quare inquiebat, cavendum erat diligentissime, ne dum Ecclesiae clandestina matrimonia rescindendi auctoritatem vellent concedere, eam potius saeculari potestati permitterent, atque assererent. Haec in Concilii Tridentini historia; sed quid inde factum est? Inventus a Campegio rescindendi clandestini conjugii modus Tridentinis Patribus omnino placuit, insuperhabitis, quae Solisius contra campegianae speculationis usum disseruerat. Quam de separata secretaque civilis pactionis ratione ab ipsa Sacramenti natura doctrinam Tridentini tradidere Patres, ipsi quoque retinuerunt tum schola-

 stici,

ſtici, (1) qui ſupremam illam in matrimonium poteſtatem non ad illud prout Sacramentum, quod a Chriſto inſtitutum humano nunquam pendet arbitrio, ſed quatenus civilis conventio eſt, qua neceſsario veluti fundamento Sacramentum ipſum innitur, ſpectare docuerunt, tum etiam inſigniores illi Theologi, qui communem, ac veriorem Cani opinionem velis, ut dicitur, equiſque propugnantes pro certo habuerunt, non omne inter chriſtianos conjugium Sacramentum eſse, ſed illud dun-

(1) Hennequin. de impediment. matrim. *Nec obſtat quod matrimonium baptizatorum ſit Sacramentum, cum etiam ſit eſſentialiter contractus civilis, qua parte, et ratione eſt directe, et immediate fori, ac tribunalis politici, ut juſta ex cauſa vetetur ac irritetur, ac ſi non eſſet Sacramentum, reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum, ideoque illegitimum, et invalidum contractum, cum tamen matrimonium Sacramentum praeſupponat, et praerequirat matrimonium contractum civilem legitimum, ac validum tamquam ſuum fundamentum, truncum, principale, materiale, intrinſecum. Et certe cum ex omnium conſenſu Principes Politici matrimonium baptizatorum Sacramentum, quatenus contractum civilem, poſſint impedire ne contrahatur licite, ſeu ſub poena corporali; etiam poterunt impedire, ne contrahatur valide ſub poena nullitatis*. Gonetus de Sacram. matrim. diſp. 7. de imped. matrim. dirim. art. 1. *matrimonium enim non ſolum eſt Sacramentum... ſed etiam contractus civilis. Sed contractus civiles juri civili et Principum ſaecularium legibus ſubjiciuntur; ergo et matrimonium, ſubindeque Principes fideles poteſtatem habent ſtatuendi ſuis ſubditis fidelibus impedimenta matrimonium dirimentia; nec talem poteſtatem ab eis abſtulit Chriſtus, cum matrimonium ad dignitatem Sacramenti evexit, ſed potius eam praeſuppoſuit, non minus, quam praeſuppoſuit contractum valide initum, ut materiam hujus Sacramenti*; Dominicus Sotus, qui Tridentino interfuit Concilio diſt. 34. quaeſt. un. art. 1. ad 3. et alii paſſim.

duntaxat, quod cum sacris solemnibusque caeremoniis, Ecclesiaeque ministro celebratur. Immerito igitur ex eo, quod matrimonium altissima Sacramenti donatum ratione fuerit, conficiendum putant, omnem in matrimonium ademptam Principibus fuisse potestatem, cum id unum inde profecto sequatur suas et Ecclesiae in matrimonio esse partes, quatenus Sacramentum est, quin Principes primaevum in illud jus, quatenus civilis pactio est, unquam amiserint.

Animadvertendum porro est, an dirimentia matrimonium impedimenta illud prout Sacramentum, an vero prout civilis conventio est, attingant, ut inde perspicue liceat, an ex addita matrimonio Sacramenti dignitate regiae subductum potestati, unique Ecclesiae fuerit judicio commissum. Verum ex iis, quae superius disputavimus, luculenter apparet, dirimentia matrimonium impedimenta nil aliud, quam civilis conventionis naturam attingere. Eorum namque vis, et ratio in eo sita est, ut vel ipsam conventionem dirimant, vel ad contrahendum non aptos efficiant cives, eosque iis civilibus, quae ex hujusmodi nuptiali pactione consequuntur, bonis expolient. Quae quidem omnia ad civilem ipsam pactionem, non ad Sacramentum pertinent, quis enim Sacramentum ubi factum fuerit, dirimi posse contenderit? Praeterea dirimentia matrimonium impedimenta sunt quaedam leges, instituta, ac regulae quae ad conventionem matrimonii prius ineundam, quam illi Sacramentum accedat, necessario adhibenda sunt atque servanda; et haec pariter ad civilem, quem habet ipsa nuptialis conventio, ordinem spectant. Huc quoque accedit, quod matrimonii conventio ad civile rei-

publicae bonum instituta est, dirimentia autem impedimenta pro majori conventionis honestate, atque utilitate sanciuntur; ergo illa ad eumdem cum ipsa nuptiali conventione civilem, et politicum ordinem pertinent. Ex quibus omnibus hactenus disputatis apertissime constat dirimentia matrimonium impedimenta ad illud, quatenus civilis conventio, non ut Sacramentum est, omninò spectare, adeoque desperatissimam eos causam agere, qui cum Bellarminum, ejusque gregales patronos, defensoresque sibi adoptaverint ex addita matrimonio sacramenti ratione nuptialem ipsam pactionem civili subductam potestati, unique creditam Ecclesiae fuisse comminiscuntur.



CAP.



C A P. IV.

Ecclesia, Romanique Pontifices Supremam in matrimonium potestatem Principibus auferre, sibique reservare nec potuerunt nec voluerunt.

QUi summa rerum potiuntur, Principes, atque Reges proprio nativoque civilem matrimonii conventionem moderandi, dirimentiaque sanciendi impedimenta jure uti atque frui, superius abunde confecimus. Suprema Potestas civilis suam a Deo, originem ducit, qui coelum terrasque supercilio movet, qui cuncta nutu fundat, et delet imperia. Hoc vel sola ratione duce primo capite perstrinximus, atque attigimus, nunc vero meliore fortassis occasione data certissima divinorum oraculorum auctoritate confirmamus. Et requidem vera nonne sapientissimus Rex Salomon divinitus regnare Reges, legumque conditores justa decernere, et Principes imperare pronunciavit? (1) Nonne potestatem adversus seipsum habere nullam, nisi datum desuper esset suo Christus ore Pilatum admonuit? (2) Nonne cunctas Divus Paulus docuit,

(1) Prov. 8. *Per me Reges regnant, et regum conditores justa decernunt, per me Principes imperant* et sap. 6. *quoniam data est a Domino potestas vobis Regibus... et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra.*

(2) Joan. 19. *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper.*

docuit gentes, ut ſublimioribus Principum poteſtatibus, quae ſuum a Deo principium ducunt, ſubjiciantur, acerbiſsimas Deo ipſae poenas daturae ſi conſtitutis divinitus poteſtatibus ſeſe gererent immorigeras? (1) Nonne Imperatores, et Principes poſt Deum primos, ſolo Deo minores, et a Deo conſtitutos eſſe ſcriptum prodidit Tertullianus? (2) Nonne doctiſſimus inter Eccleſiae Patres Auguſtinus ſupremam illam dandi regni, atque Imperii poteſtatem uni tribuendam eſſe Deo teſtatus eſt? (3) Nonne grandiloquus ille tradidit Chriſoſtomus, ſupremum Principibus in proprios eſſe greges imperium, ita ut omnis homo ſive Apoſtolus, ſive Evangeliſta, ſive Propheta, ſive quiſquis tandem fuerit, civili Regiaeque, quae a Deo proxime manat, poteſtati ſubjiciatur? (4) Nonne Principes, atque Imperatores neminem habere ſuperiorem niſi ſolum Deum, qui Principes, atque

(1) Rom. 13. v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo, quae autem ſunt a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

(2) Tertull. in Apolog. *Sciunt Imperatores, qui illis dederit imperium; ſentiunt enim Deum eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, et a quo ſunt ſecundi, poſt quem primi.* et in lib. ad Scapul. *Colimus ergo Imperatorem, ſic quomodo nobis licet, et ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum et quicquid eſt a Deo conſecutum, ſolo Deo minorem: hoc et ipſe volet, ſic enim omnibus major eſt, cum ſolo Deo minor eſt.*

(3) De Civit. Dei lib. 5. c. 21. *Non tribuamus dandi regni, et Imperii poteſtatem, niſi vero Deo.*

(4) Ad Timoth. cap. 11. v. 1. Homel. 23. *Ita Imperatur omnibus et Sacerdotibus, et Monachis non ſolum ſaecularibus idquod ſtatim in ipſo exordio declarat, cum ait omnis anima poteſtatibus ſuperaminentibus ſubdita ſit: etiamſi Apoſtolus, ſi Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſquam tandem fueris: neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio.*

atque Imperatores constituit, Optatus Milevitanus declaravit. (1) Quid Justinum, Iraeneum, Gregorium Nazianzenum, Theodoretum, Fulgentium aliosque sane plurimos Ecclesiae Patres memorem qui suam a Deo Principes potestatem accepisse, maximaque idcirco prosequendos esse veneratione testantur? Cum igitur civilis illa potestas, qua Principes Regesque rempublicam gerunt, ejusque felicitatem tranquillitatemque procurant, proximam a Deo ipso originem habeat, facile intelligitur, eam adeo insitam esse principatui, regalique adeo inhaerere personae, ut nunquam abrogari, vel Principibus adimi possit ea prorsus ratione, qua intelligentia, memoria, libertas, voluntas, latitudo, gravitas, atque inertia animorum, corporumque naturam adeo attingunt, ut neque ejusmodi animorum facultates, neque tales corporum qualitates deleri, vel ab animis, et corporibus eripi, avellique queant). Verum jus illud, quo Principes in connubialem pactionem habent, est praecipuum, maximeque necessarium elementum, quo suprema illa civilis potestas efficitur, atque conflatur, quemadmodum et omnibus ingenito rationis lumine perspicuum fit, et gravissimis confirmatur momentis quae primo capite in medium adduximus; ergo neque sacerdotalis ordo supremo illo dirimentia matrimonium impedimenta constituendi jure Principes Regesque privare, sibique reservare potest. Id unum certe, si suum bene negocium gerere voluissent, demonstrandum ab adversariis erat, Christum eam Ecclesiae auctoritatem tribuisse, ut summum illud in nuptialem conventionem jus, quod divino, natu-

ralique

(1) *Super Imperatorem non est nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.*

ralique jure concessum Principibus fuit, intimaque ipsius Ecclesiae natura abhorrere differuimus Principes spoliaret, sibique reservaret. Verum enim vero quomodo Christus, qui venit in mundum, ut divinas naturalesque leges firmaret, juraque Principum assereret, qui Ecclesiam instituit, non ut certe Imperium Principibus eriperet, sed ut magis sartum, tectumque servaret, qui Ecclesiam docuit, suum cuique tribuendum, Deoque reddenda, quae sunt Dei, et quae sunt Caesaris, Caesari, eam Ecclesiae potestatem dederit, ut Principibus abrogaret sibique reservaret dirimentia matrimonium impedimenta sanciendi jus, quod ipsi naturalibus Divinisque legibus acceptum referunt, quod ad reipublicae ac civilis imperii salutem, atque utilitatem potissimum pertinet, quod divinam pene dixerim Principum Regumque personam efficit, atque constituit, illique quam tenacissime adhaeret? Quo autem canone, quo decreto, (1) quove tempore, vel anno

(1) Nonme latet, nonnullos extitisse Theologos, qui Decreta, et Decretales et Triburiensis Concilii canonem undequaque venditarunt utpote quibus regia in matrimonium potestas ab Ecclesia, Romanisque Pontificibus abrogata demonstraretur. Ingenue fateor de more, quod sentio; certum animo fixumque erat hasce ceu nullius momenti Decretales alto praeterire silentio, sed ad recantandam Palinodiam me impulerunt duo; primum ne aliquid hac in re intentatum nos reliquisse, aut dissimulasse arguerent; alterum ut quisque vel crimine ab uno omnes illos praesertim de innumero monachorum, et coenobitarum grege Theologos disceret, fenumque veluti habentes in cornu fugeret, qui impotentissimo in romanam curiam studio abrepti, infinita Romanis Pontificibus vel invitis commenta, atque in somnia affingendo, imminuendaque Principum Majestate, male feriata ipsius romanae curiae signa longius protendere conantur. Pri-

no Ecclesia, Romanique Pontifices tam immane facinus, tam grande factum ausi sunt! Verum tantum abest, ut Ecclesia, ejusque antistites qui divino edocti magistro mortalia non eripiunt, hanc Prin-

Primum itaque objiciunt cum Sanchezio, qui plura congerit, quam digerit, caput *Euphemium* 11. quaest. 3.; *Quod est*, inquit ille, *Divi Gregorii lib* 4. *Epist. Epistol.* 1. *ad Joannem Episcopum Corinthiorum*, *cum D. Gregorius asseruisset non effici infames, quos tales lex civilis reputat, eo quod ad secundas nuptias se transferunt, tum matrimonia hodie regantur jure poli, non jure fori*.

Deinde adferunt cap. de *Francia* de sponsalib. et matrim. ex Triburiensi Concilio ann. 895. et viginti duobus Episcopis celebrato depromptum, vel satius dixerim, depravatum. Ita igitur lib. 4. decretal. tit. 1 cap. 1. legitum. *De Francia quidam nobilem mulierem de saxonia, lege saxonum duxit in uxorem; verum quia non utuntur iisdem legibus saxones, et Francigenae; causatus est quod eam non sua, idest Francorum lege, desponsaverat, dimissaque illa, aliam superduxit; definivit super hoc sancta synodus, ut ille transgressor evangelicae legis subijciatur Poenitentiae et a secunda conjuge separetur, et ad priorem redire cogatur*. Dixi depravatum, quia in Canone solum habetur; *ut transgressor canonice arguatur*, in capite vero additur: *ut transgressor subjiciatur poenitentiae, a secunda foemina separetur, et ad priorem redire cogatur*. O mirum in transcribendo candorem!

Tertio adducunt *cap. multorum relatione cognovimus* ex decreti 2. part. caus. 35. quaest. 6. cap. 10. quod ita se habet: *Multorum relatione cognovimus, te propriam velle abjicere uxorem, et adhaerere alteri, praetendentem consanguinitatis occasionem; unde Apostolica auctoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc quam nunc habes uxorem, nullatenus praesumas dimittere, vel aliam ducere donec Episcoporum religiosorum Concilium causam istam examinarit*. Haec Alexander II. ad virum quemdam nomine Guillelmum.

Quarto proponunt caput *ex literis* de consang. et affinitate, quod legitur tit. 14. decretalium, ubi ex Alexandro III. habetur... *Inquisita vero diligentius veritate, si per testes circumspectos omni exceptione majores inveneris, quod primus vir superstitem quarto gradu consan-*

Principibus auferre potuerint dirimendorum conjugiorum potestatem, ut immo eam cum primus ratam habuerint, easque, quas Principes ipsi de matrimonio leges tulerunt, sapientissimas justissi-

sanguinitatis attingit, non differas divortii sententiam promulgare. Æque enim, ut Canones dicunt; abstinendum est a consanguineis uxoribus, ac propriis. Caeterum tuam prudentiam volumus non latere, quod non sint causae matrimoniales tractandae per quoslibet, sed per judices discretos, qui potestatem habent judicandi, et statuta canonum non ignorent.

Quinto proferunt caput accedentibus *de excessibus praelatorum ex lib. 5. Decretal. tit. 31. cap. 12. Accedentibus ad nos de diversis mundi partibus Episcoporum querelis, intelleximus graves, et grandes quorumdam excessus abbatum, qui suis finibus non contenti manus ad ea, quae sunt Episcopalis dignitatis extendunt, de causis matrimonialibus cognoscendo injungendo publicas poenitentias ec. unde contingat, quod vilescit Episcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in his, et Episcoporum dignitati, et abbatum providere saluti, praesenti decreto firmiter prohibemus, ne quis abbatum ad talia se praesumat extendere si proprium voluerit periculum evitare.* Sic Innocentius 3.

Sexto opponunt caput *Ecclesiae S. Mariae Novae* ex lib. 1. decret. tit. 2. de constitut. cap. 10. quo certe plerique Scholastici innixi ademptam Principibus in matrimonium potestatem effutiunt. Audiamus illud. *Nos attendentes, quod Laicis etiam religiosis, super Ecclesiis ac personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum, unde statutum Basilii de non alienandis praediis rusticis, vel urbanis ministeriis, et ornamentis Ecclesiarum, illud reprobatum potissima occasione fuit, quod auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum. Quod a Senatore factum fuerat in praejudicium Monasterii non conventi, nec confessi, vel convicti in irritum revocantes, easdem possessiones restituendas tibi sententialiter definimus.* Sic Innocentius III. ad Abbatem S. Sylvestri de urbe super rebus, et possessionibus monasterii scribit.

simasque veluti regulas, quibus tantum connubii foedus bene, riteque celebrarent, christianorum oculis subjecerint, atque proposuerint. Testis primum

Quod igitur, ut subdititium illud *caput Euphemium* silentio praetereamus Tiburiense concilium decrevit, ut homo quidam Francus, qui variis causatus Gallorum leges uxorem dimiserat, aliamque duxerat, tanquam impius Evangelicae legis violator subjiceretur. Quod Alexander secundus prohibuit, ne Guillelmus quidam propriam uxorem dimitteret, aliamque duceret, donec Episcopi, de hujusmodi re cognovissent. Quod Innocentius tertius eos reprehendit abbates, qui temerario ausu christiana in matrimonia inquirebant; quod idem Pontifex laicis etiam religiosis nullam in Ecclesiam, eosque, qui Ecclesiasticis funguntur officiis attributam esse auctoritatem respondit, Quod Alexander tertius matrimonii causas non per quoslibet sed per discretos judices, qui potestatem judicandi habeant, et statuta canonum non ignorent, tractandas esse mandavit, colligi inde poterit, eam Principibus sublatam a Romanis Episcopis fuisse in matrimonium potestatem, quae naturali, divinoque quaesita jure nullo modo ab ipsa principatus natura nec divelli, nec distrahi potest?

O ridicula vere consectaria, o tot absurdas animis, o tot absonas auribus complexiones, quas nemo vidit, aut visurus est unquam! Ast ubi per Deum, hominumque fidem vel minimum de hujusmodi abrogatione verbum habetur, cum tamen verba illa, quibus alicujus quaesiti juris ademptio inducitur, perspicua, ac certissima esse debere tum naturalibus, tum humanis omnibus legibus jussum, ratum, ac firmum sit? Ubi locorum, ubi gentium, ubi terrarum sacra, vel profana auctoritas est quae tantum civili potestati jus auferre possit, quod a Deo profectum et ad reipublicae bonum, atque incolumitatem institutum sanctissimae Principum, Regumque personae adeo fixum inhaeret? O igitur plumbeos blateronum pugiones, quibus regium in matrimonium jus profligare contendunt. O turpissimum nebulonum genus, qui propitiam romanae curiae auram aucupandi gratia tantam Pontificiis responsis fraudem faciunt, eamque romanis Episcopis potestatem ac voluntatem affingunt, quae sapientissimo illo, quem sacerdotium inter et Imperium Deus ipse constituit ordine cum primis abhorrent.

primm Lateranense Concilium, quo civilium habita ratione legum consanguineorum matrimonia vetantur. (1) Testis secundum Turonense Concilium, quod Childeberti, Clotarii, et Chariberti leges secutum prohibet, ne quis raptam sine Parentum consensu Puellam stabili audeat sibi sociare connubio. (2) Testis primum Lugdunense Concilium sub Sygismundi Rege celebratum adversus quemdam Stephanum qui cum cognatam suam civili reclamante lege duxisset uxorem, ipso referente concilio puniendus a Rege fuit ex eo potissimum, quod in Principum leges quibus talia prohiberentur matrimonia peccasset. (3) Testis Syricius Papa, qui in vetandis, damnandisque Sanctimonialum conjugiis civiles leges memorat, atque commendat. (4) Testis Gelasius, qui legem *de mulierum raptu* a Princibus, Regibusque institutam probat, et laudat. (5) Testis Leo magnus, qui dirimens matrimonium conditionis impedimentum non ab Ecclesia, sed a civili Romanorum jure profectum agnoscit. (6) Testis Nicolaus primus

(1) Canon. 5. *Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus, quoniam has et Divinae, et saeculi leges prohibent.*

(2) Can. 20. *Non solum Domini gloriof. mem. Childerbertus, et Clotarius Reges constitutionem custodierint, et servarint, quam Charibertus Rex successor eorum praecepto suo roboravit, ut nullus unquam puellam absque parentum voluntate rapere, aut accipere praesumat.*

(3) En verba Concilii *Par videbatur, ut qui in leges Principum peccaverat, de sententia Principum puniretur, aut ei indulgentia concederetur.*

(4) Epist. ad Immer. *Quod et publicae leges, et Ecclesiastica jura condemnant.*

(5) Apud Gratian. 27. q. 11. c. 49. *Lex illa praeteritorum Principum ibi raptum dixit esse commissum, ubi puella, de cujus ante nuptu nil actum tradit, videatur adducta.*

(6) Epist. 92. ad Rustic. Narbon. c. 4. *Nuptiarum autem foe-*

mus, qui latas ab Imperatoribus de naturali et civili cognatione leges venerabundus admiratur, christianisque nationibus sequendas, observandasque proponit. (1) Quidquod Ecclesia suas de connubiali pactione leges a Principibus confirmandas postulavit? Cum igitur inspecta rei natura supremum dirimentes matrimonium leges ferendi jus ad Principes Regesque proprie vereque pertineat, eoque illi primis, ac posterioribus Ecclesiae temporibus usi vel ipsa rogante, ac probante fuerint, neque ullum vel minimum afferri possit argumentum, quo Christum, qui solus utpote rerum omnium auctor, ac Dominus exceptionem facere poterat, hujusmodi in maritalem conventionem potestate Ecclesiam donasse probetur, jam omnium elucet insania obtrectatorum qui ipsam hoc sibi jus Ecclesiam reservasse somniarunt. Ex quo et illud colligi facile potest, quod demonstrandum suscepi nullam Ecclesiae; Romanisque Pontificibus potestatem, et voluntatem fuisse, quo civilem in matrimonium auctoritatem Principibus abrogarent, sibique vindicarent.

D CAP.



foedera inter ingenuos sunt legitima et inter aequales, multo prius hoc Domino constituente, quam initium juris romani existat.

(1) Nicolaus. in respons. ad Bulgar. *Unde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium; quandoquidem nec inter eos qui natura, et eos qui adoptione filii sunt, venerandae romanae leges matrimonium contrahi permittunt.*



CAP. V.

Nunquam audiendi sunt, qui summum in connubialem pactionem Ecclesiae jus ab indirecta potestate profectum effutiunt.

QUo magis certum, exploratumque est, Ecclesiam, ac Pontifices indirecta illa, quam ipsis in res civiles perperam tribuunt, usos potestate fuisse cum dirimentia matrimonium impedimenta constituerent, eo quoque magis perspectum, planumque fit, supremam illam, quam sibi adsciscunt Ecclesia, ac Pontifices in connubiale pactum auctoritatem falsissimo inniti principio; turpissimoque proinde eos in errore versari, qui vel ex hoc dirimentes matrimonium ferendi leges jus Ecclesiae, ac Pontificibus tribuere non dubitarunt. A pestifera hujusmodi, ac commentitia, quam de indirecta Ecclesiae potestate Bellarminus propugnat, longius refellenda, explodendaque sententia supersedendum duco, quandoquidem in hac adornanda sparta omnem reliquis palmam praeripuerint clarissima duo illa Ecclesiae, ac Galliarum Lumina Bossüetus in celeberrima defensione declarationis cleri Gallicani, et Dupinus in aureo illo, quod de ecclesiastica, ac civili potestate, confecit opere; qui quidem pietate, ac do-

doctrina praestantes viri indirectam hanc potestatem locupletissimis rationum momentis labefactant, infandaque illa Bellarmini, ejusque gregalium sophismata funditus convellunt, atque profligant. Verum ne indicta prorsus causa abire videamur, breviter, ac per transennam unum, aut alterum hac de re verbum facere juvat. Profecto si Principes ac Reges, suam a Deo potestatem accipiunt, si nullum praeter solum Deum superiorem, ac judicem in terris agnoscunt, si Ecclesia, Pontificesque omni civili jurisdictione carent, quomodo Ecclesia ipsa, atque Pontifices indirectam illam in Reges potestatem exercere ita poterunt, ut pro religionis bono civiles leges abrogent, altissimoque illo, quo Deus ipse constituit, solio Principes, Regesque deturbent? Si nullam namque vel ipso fatente Bellarmino directam in civiles res potestatem habent Ecclesia, atque Pontifices, qui fieri potest, ut de illis vel ipso proposito religionis bono statuere valeant? quisquis enim, qui vult de aliqua re statuere, illius dominium habeat necesse est. Neque ad hanc rem assequendum satis est, ut illa ipse indigeat, magnoque sibi usui sit; secus namque efficeretur, aliena quempiam detrahere posse bona emolumenti sui gratia. Si igitur neque Ecclesia, neque Pontifices ullam in civiles res potestatem habent, sequitur, ut de his statuere nequeant vel maxima incredibilique objecta utilitate, quae inde in religionem christianosque populos proficisceretur. Verum quid in profliganda tollendaque hujusmodi indirecta potestate tempus tero, quae religioni inimica, quae Principum majestati infesta, quae unanimi gravissimorum auctorum improbata consensu, quae celeberrima il-

la Theologica Parisiensi Facultate damnata, (1) quae uno politiorum gentium ore detestata oblivione jamdudum obsolevit sempiterna, solumque, cordatorum hominum exagitata conviciis, maledictis, ac risu in monachorum, coenobitarumque gregibus effugium invenit.

CAP.



(1) *Non esse doctrinam facultatis, quod summus Pontifex aliquam in temporalia Regis christianissimi auctoritatem habeat; imo facultatem semper obstitisse etiam iis. qui indirectam tantummodo esse illam auctoritatem voluerunt.*



CAP. VI.

Ex quo matrimonium non solum civilis, sed naturalis conventio sit nonnulli dirimentia matrimonium ipsum impedimenta sanciendi jus Principibus perperam denegant, alii vero Ecclesiae, ac Pontificibus perverse communicant.

PErmulti sunt, et fuerunt non mediocri sane praestantes doctrina viri, qui cum nuptialem pactionem immutabili naturae lege innixam animadverterent, colligi inde posse existimarunt, Principes, Regesque nullam nisi quoad civiles effectus in matrimonium habere potestatem. Verum ut quae alii fusius, et fortasse obscurius de hujusmodi immutabili naturae lege disputarunt breviter perstringam, et luculentius proponam, duo cum primis consideranda videntur, ex quibus bene perspectis universa quae de naturae immutabilitate adferuntur, adversariorum argumenta in nihilum occident. Duplices igitur naturae leges aliae namque primario loco sunt, quae firmae, immutabilesque manent, semperque sibi constant. Scilicet *colendus Deus est*, *non pejerandum*, *neminem odio prosequendum*. Aliae sunt, quae quasi quaedam complexiones ex superioribus illis na-

turae legibus confectae secundum locum obtinent; quae quidem, si absolute spectentur firmae, ac immutabiles sunt, sed variis tamen rerum temporibus parent, quorum habita ratione id vetant, quod absolute, his vel illis sublatis temporibus, omnino praecipiunt. Ita naturali lege cavetur, ut deposita reddantur, si quis autem gladium apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatum sit, non officium. Adversus naturae legem quis peccet, si extremum sibi fatum properabit, at si pro patria vitam profundet, pleniori ore laudabitur. Parentes cole, natura clamat. At si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? Silebitne filius, imo vero nullum non movebit lapidem, ut patrem a nefario consilio deterreat, si nihil proficiet, accusabit, minabitur, ad extremum si ad perniciem patriae res spectabit; patriae salutem anteponet saluti patris. Non occides, inquit lex naturalis; at si quispiam sit, qui fana expilet, qui cuniculos agat ad aerarium, qui cives diripiat, aut aliquod immane facinus admittat, nonne scelestum illum, perditumque hominem morte multabit magistratus? sic igitur mutatis temporibus, mutantur officia, quaeque honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta, facere promissa, stare conventis reddere deposita, commutata utilitate fiunt non honesta. Neque vero existimandum est vel ipsas naturae leges, quae secundum locum obtinent, ita mutationi obnoxias esse, ut aliquando cives obligent, aliquando secus, sed mutabiles dicuntur, quatenus his, vel illis temporibus non obligant. Verum haec non vera, nec propria mutatio est, cum ipsae naturae leges, quae absolute aliquid praecipiunt, commu-

tatis

tatis temporibus, mutataque reipublicae utilitate, quo omnes naturae leges ſpectant, omnino prohibeant; in legis enim conſilio, mente, ac fine, et regula, et exceptio regulae continetur. Quare vel principio decretum a natura fuit, depoſitum abſolute reddendum, non eſſe vero reddendum, cum tempora, et publica utilitas commutantur, colendos eſſe parentes, conventis ſtandum, gladio parcendum, nec colendos parentes, nec conventis ſtandum, nec gladio parcendum, ubi et tempora, et reip. bonum poſtulaverint.

Naturales igitur leges mutationi obnoxiae dicuntur, non quod ipſae revera, ac proprie mutentur, ſed habita temporum, ac publicae utilitatis ratione, pro quibus principio, ſemperque modo aliquid praecipiunt, modo non praecipiunt, modo vetant, modo non vetant. His ita poſitis ad rem noſtram veniamus. Licet inficias ire quis nequeat, nuptialem conventionem ad immutabiles quoque naturae leges pertinere, tamen illis, utpote quae ſecundum tenent locum, varias temporum, rerum, ac perſonarum acceſſiones fieri certum etiam, compertumque eſt, quae propterea mutationi ſubjiciuntur, civilique committuntur poteſtati, ut omnia ad reipublicae utilitatem, quo eaedem naturae leges ſpectant, inſtituantur prout idipſum ipſe D. Thomas (1) aliique inſigniores videre ſcholaſtici. (2) Immutabili, fateor, na-

(1) In 4. ſentent. diſtinct. 39. quaeſt. unic. artic. 2. *Prout matrimonium eſt in officium naturae. Ea autem, quae pertinent ad legem naturae ſunt determinabilia per jus poſitivum; et ideo ſi prohibentur ab aliquo jure poſitivo apud eos infideles contrahere matrimonium cum infidelibus alterius ritus, diſparitas cultus impedit matrimonium inter eos.*

(2) Gretſerus 2. diſp. de Jud. cauſ. matrim. theſ. 1. *licet enim quoad primam inſtitutionem matrimonium ſit juris*

naturae lege cautum eſt , ut quis ad arbitrium uxorem ducat, promiſſamque ſponſae fidem liberet, verum eaedem naturae leges, quae hoc abſolute praecipiunt temporibus, ac publica utilitate commutatis vetant, ne quis hanc vel illam uxorem accipiat, pactamque fidem exſolvat. Ex eo igitur, quod Principes, et civiles magiſtratus certas inter ſtataſque perſonas matrimonia prohibent, et dirimunt non vere, nec proprie naturae leges mutantur, aut violantur, ſed interpretando explanantur in eo, in quo ob univerſitatem deficiunt; in lege namque nihil excipitur, ſed exceptio, quae non fit, intelligitur, ſcriptum legis in exiguum anguſtumque concluditur, interpretatio autem latiſſime patet, exceptio a natura praecepta intelligitur, ſi ejus conſilio, menti, ac fini, majori nempe reipublicae utilitati quae ſuprema lex eſt, reſpondeat. Ubi igitur civilis poteſtas dirimentia matrimonium impedimenta, quae ad reipublicae utilitatem, tranquillitatemque referri

juris naturalis; quoad determinationem tamen modi, et contrahentium a legibus pendet. Ipſa ſiquidem natura docet, ſemperque docuit, non cuivis liberam arbitratu ſuo conjugii amplectendi poteſtatem relinquendam eſſe; ſed eam quae et cum privata cujuſvis, et cum utilitate communi omnium conjuncta eſſet. Franciſcus Amicus diſp. 9. de imp. matrim. dirim. ſect. 1. n. 3 *Porro juſta cauſa non ſolum poterit Princeps ad tempus, ſed etiam in perpetuum ſi id bono publico expedire judicaverit, perſonas ad matrimonium inhabilitare, non obſtante quod matrimonia ſint de jure naturae, et divino. Nam hoc jus, quod quiſque privatus a Deo, et natura habet ſubordinatur juri naturali, quod de ſe habet in ordine ad bonum publicum.* Thomas de Argentina in 4. diſt. 42. art. 4. *quamvis matrimonium ſit de jure naturali, tamen ſine omni praejudicio juris naturalis leges poſitivae poſſunt determinare perſonas matrimonialiter copulandas pro temporis, et gentis congruitate.*

ferri superius demonstravimus, praescribit, naturalibus ipsis legibus quae ad publicam semper utilitatem diriguntur, mirum in modum accommodatur. Ex quo sane intelligitur toto eos aberrare coelo, qui ex eo, quod aliquid in matrimonio reperiatur, quod immutabili naturae lege statutum est, nullam nisi quoad civiles effectus in illud potestatem Principibus tribuunt; cum ipsa hujusmodi naturalis legis mutatio, ut monuimus, non sit propria, sed ipsa naturae lex quae aliquid absolute vetat, mutatis reipublicae temporibus, majorique proposita illius utilitate, illud praecipit, ipsisque proindè civilis potestatis legibus determinatur.

Hinc etiam corruit, quod Aloysius Litta in eo, quem de communi conjunctoque utriusque potestatis in matrimonium jure edidit libro, inscripsitque nomini praestantissimi, sapientissimique Pistoriensis, ac Pratensis Ecclesiae Pontificis Scipionis de Riccis, adfirmare non dubitavit, triplicem illam divisionem matrimonii a D. Thoma institutam, qua nempe conficitur *matrimonium in quantum ordinatur ad bonum naturae, dicitur esse naturae officium, in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi civilis legis, in quantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet, quod subjaceat regimini Ecclesiastico*; quaque omnis in connubialem pactionem Principibus auctoritas adscribitur, nomine, non re veram esse, secus enim, inquit eximius vir, sequeretur, quod cum ex eo principio sua Ecclesiae, sua Principibus, sua naturae matrimonii portio assignanda foret, Ecclesia matrimonium Sacramento, Principes civilibus effectibus spoliarent, sed neque Ecclesia, neque Principes nu-

nuptialem conventionem immutabili naturae lege ſtantem dirimere poſſent. Haec inquam, ex iis, quae ſuperius diſſeruimus, in fumum abeunt; naturalis namque lex abſolute ſpectata ſibi ſemper conſtat, et cujuſque mutationis expers eſt, ſed variis reipublicae temporibus, pro quibus aliquid modo vetat modo praecipit, accommodatur, ſuamque a civilibus legibus formam mutuatur. Aurea igitur illa, quam de matrimonio inſtituit partitionem D. Thomas, qua ſuae naturae, Eccleſiae, ac Principibus partes attribuuntur, quaque in civilem nuptiarum conventionem jus Eccleſiae, denegatur, ac Principibus omnino conceditur, reapſe vera eſt eo tamen diſcrimine poſito, quod naturales leges, quae ſemper reipublicae bonum ſpectant civilibus conformantur, ac ſubjiciuntur legibus quae pariter in conſtituendis dirimentibus matrimonium impedimentis majori reipublicae utilitati proſpiciunt.

Neque nobis ullum faceſſit negocium Gerbeſius, qui ex eo, quod matrimonium naturalis quaedam conventio ſit, neſcio quo pacto concludit: Eccleſiam praeter Principes, ſummam illam dirimentia matrimonium impedimenta ſanciendi auctoritatem habere. Naturae namque leges, quae ad civilem nuptiarum pactionem, ac reipublicae utilitatem pertinent poteſtatis illius praeſcripto ſubjiciantur neceſſe eſt, cui et civilium conventionum, et reipublicae procuratio mandata eſt, cum autem haec omnia ad civilem poteſtatem, non ad Eccleſiam, cui ſempiterna chriſtianorum ſalus credita ſolum fuit, potiſsimum ſpectent, luculentiſsime conſequitur, ut naturales illae leges, quibus civilis matrimonii conventio ſtatuitur, civilis ipſius poteſtatis providentiae committantur.

Prae-

Praeterea dirimentes matrimonium leges ſive naturae codicibus, ſive Principum edictis, ſive demum Eccleſiae conſtitutionibus ſcriptae legantur, eo unice ſpectant, ut ad contrahendum matrimonium inhabiles efficiantur cives, qui certis quibusdam conditionibus deſtituuntur. Cum vero ratum, fixumque ſit, varia illa, quae ad Principes, atque Eccleſiam pertinent, officia a diverſa negotiorum natura diſtinguenda eſſe, quomodo illud idem quod ad ſolam civilium rerum naturam attinet, Principum aeque, ac Eccleſiae juriſdictioni obnoxium eſſe judicabitur? Deinde ſi civilis nuptiarum pactio ob eam unice cauſam, qua ad naturam quoque pertinet, Eccleſiaſtico ſubeſt arbitrio, perſpicere inde fas eſt, et omnes caeteros civiles conventiones quae quidem naturales ſunt, emptionem, venditionem, donationem, locationem ita Eccleſiaſticae ſubjacere poteſtati, ut eas pro lubitu infectas, irritaſque valeat declarare. Quod ſane, quantum a recta ratione, veritateque alienum ſit, nemo non videt. Turpiſsime igititur hallucinantur, qui ex eo quod matrimonium non civilis modo, ſed naturalis etiam conventio ſit, dirimentes matrimonium leges ferendi jus vel Principibus denegant, vel Eccleſiae communicant.



CAP. VII.

Caufae, quibus civilium circa nuptialem conventionem legum difciplina mutata eft, referuntur.

UT quae adhuc diluenda fuperfunt adverfariorum argumenta, quibus dirimendorum connubiorum poteftatem Ecclefiae vindicare conantur, penitus evanefcant, ac radicitus corruant nil fatius efse putavi, quam quod caufas quibus civilis illa Principum perfonae infixa poteftas in Ecclefiam Romanofque migravit Epifcopos, inveftigemus, monftremufque. Sincera namque hujafce mutationis origine infpecta, quid de ea fentiendum fit, intelligemus; facilior, tutiorque ad cetera omnia, quae in factis plerumque confiftunt, obtrectatorum labefactanda commenta patebit via, et ipfa inftituti noftri ratio, ac veritas magis, magifque elucebit, atque confirmabitur.

Profecto Chriftianus Lupus (1), qui facra eru-

(1) Difsert. 1. proemial. cap. 10. praefix. tom. 3. Schol. in can. *Etenim matrimonium, quod non folum Chriftianum Sacramentum eft, fed et civilis contractus dirimentia impedimenta ftatuere dudum fibi arrogarunt, ac refervarunt Chriftiani Romanorum Augufti, pofterioribus duntaxat faeculis Ecclefia fuit nacta iftam poteftatem; hinc antiqui patres, et canones raro*

ruditione, nescio an habeat parem omninò neminem testatum reliquit Imperatores, ac Principes, dirimentia matrimonium impedimenta sanciendi jus sibi dudum arrogasse, ac reservasse, Ecclesiam vero posterioribus duntaxat, saeculis nactam illud fuisse, de quo antiqui patres, et canones utpote sibi suisque muneribus alieno nunquam vel rarò mentionem fecerunt. Ex quo igitur animadvertit Lupus, posterioribus tantum saeculis hanc in connubiale foedus nactam Ecclesiam fuisse potestatem, eaque antiquitus caruisse, percipi facile potest, Ecclesiam non ex sibi proprio, nativoque jure, sed hanc alio potestatem arcessisse principio. Adulterinae scilicet Romanorum Pontificum epistolae, subdititia ipsorum decreta, indirecta illa, de qua superius sermonem instituimus in res civiles Ecclesiae potestas puri sunt candidique, si Deo placet, fontes illi, quibus Concilia Romanique Pontifices suam in connubialem pactionem acceptam referunt auctoritatem. Sed rem altius repetere juvat. Tanti causa, caputque mali fuit Isidorus Mercator, insignis ille fabularum architectus, ac princeps, qui summa imperii Carolo magno gerente lucem aspexit. Cum enim suam canonum, pontificiarumque epistolarum collectioni operam daret, tanta aliis imponendi voluptate bacchatus est, ut septem ac nonaginta epistolas proprio procusas marte vetustissimis Pontificibus affingere non dubitaverit. Quot, quantaque Dii, boni, in sanctissimam Christi Ecclesiam ex his falsis epistolis mala, atque absurda fluxerunt! Hinc evangelicae disciplinae eversio, hinc veterum canonum pestis, hinc impotens

ro istorum impedimentorum non spectantium, ex professo utpote ad suam potestatem meminerunt.

potens Romanorum Pontificum dominatus, hinc Episcoporum servitium, hinc civilis nuptiarum dirimendae pactionis institutum, hinc commentitia Principes solio dejiciendi, subditasque gentes Sacramento, solvendi potestas, hinc caetera alia absurda, absona, atque infanda nata sunt, quae teterrimis Ecclesiam infortuniis, ac calamitatibus obruerunt. Non mihi si linguae centum sint, oraque centum Pontifices enumerare potis esset, qui decretales illas epistolas veluti sanctissima delapsa Caelo ancilia, quibus pontificia auctoritas mirum in modum amplificatur, atque retinetur, altissime venerati impensius observandas, sequendasque Episcopis inculcabant, eisque ad majores quascunque judicandas causas studiosissime utebantur, quemadmodum a Nicolao I. prae ceteris omnibus factum legimus. Quidquod et ipsi Coloniensis Concilii Patres adulterinis Anacleti epistolis utuntur? Quidquod Concilium Moguntinum subdititias Urbani Epistolas in medium adducit? Quidquod Concilium Metense Pseudo-Damasi, et Pseudo-Leonis testimonio nititur? Quidquod Concilium Triburiense Pseudo-Callisti, Pseudo-Anacleti, Pseudo-Clementis, Pseudo-Alexandri, Pseudo-Evaristi epistolas suarum sententiarum testes citat? Quidquod Concilium Remense Pseudo-Anacleti Pseudo-Damasi, Pseudo-Julii, Pseudo-Sthephani, Pseudo-Sixti, aliorumque Pseudo-Pontificum epistolas in judicanda Arnulphi causa diurna, nocturnaque manu versat? Quidquod Concilium Lateranense I. in prohibendis, damnandisque consanguineorum nuptiis Pseudo-Callisti I. epistolam proponit? Quidquod Concilium Coloniense in vetandis, improbandisque filiorum familias parentum injussu initis conjugiis ad fal-

sam

ſam Evariſti Epiſtolam, qua hujuſmodi matrimonia declarantur infecta confugit? Quidquod Joannes Saresberienſis Epiſcopus eam Alexandro tertio literam ſcripſit, ubi de cauſis, quae ad matrimonium pertinent, verba faciens, omnem adulterinis Evariſti (1), Calliſti, (2) et Fabiani (3) decretis, quae Canones nominat, auctoritatem defert? Interea Burchardus Wormatienſis Epiſcopus in Germania, Ivo Carnutenſis in Gallia Praeſul, Gratianus in Italia Conciliorum canones, et Pontificum Romanorum decreta, ac decretales in unum corpus digerunt. In hiſce autem collectionibus ſubdititiae Evariſti, Calliſti, Fabiani, aliorumque Pontificum Epiſtolae locum tenent. Quoniam vero Gratiani decretnm in majorem,

(1) Decretum Evariſti Gratianus in ſuum decretum retulit cauſ. 30. quaeſt. 5. can. 1. et ſic ſe habet *Aliter legitimum non ſit conjugium, niſi ab his. qui ſuper ipſam foeminam dominationem habere videntur, et a quibus cuſtoditur, uxor petatur. et a parentibus, et propinquioribus ſponſetur, et legibus dotetur,* et poſtea: *aliter vero praeſumpta, non conjugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia, eſſe non dubitatote.*

(2) Epiſtol. 1. a Gratiano relata, quae pluribus interjectis ait, *talium enim* (Conſanguineorum) *conjunctiones nec legitimae ſunt, nec manere poſſunt.*

(3) Decret. conſanguineos n. 5. q 6. quo propriam 25. q. 11. de propinquis eod. vid. apud Gratianum haec Pſeudo-Fabiani decreta referentem. Decretum *de propinquis,* ut alia omittam haec habet. *De propinquis. qui ad affinitatem per virum, et uxorem veniunt, defuncta uxore, vel viro, in quinta generatione conjunguntur. in quarta, ſi inventi fuerint, non ſeparentur. in tertia vero propinquitate non liceat uxorem alterius recipere poſt obitum ejus: aequaliter vir conjungatur in matrimonio eis, quae ſibi conſanguineae, et uxoris ſuae conſanguineis poſt mortem ſuae uxoris.*

jorem, quam Burchardi, ac Ivonis decreta molem excreverat, majori quoque universas pene dixerim gentes in pretio, ac veneratione habitum fuit, et continuo factum est, ut Gratiani decretum, Evaristi, Callisti, ac Fabiani decretis, quae ad connubiales judicandas causas, dirimentia matrimonium impedimenta pertinent cum primis refertum in connubialibus ipsis judicandis causis studiosius retineretur, atque servaretur. Jamque civiles de nuptialibus causis leges silent, Principum edicta obmutescunt, gymnasia, scholae, Academiae, Fora celeberrimo Gratiani decreto undique personant, hinc Concilia, hinc Pontifices, hinc Episcopi leges de matrimonio dictant, Principes ipsi, ac Reges, heù meminisse pudet, regiam pene obliti majestatem ad Concilia Pontificesque confugiunt, et quam ineundi in vetitis gradibus matrimonii subditis gentibus veniam dabant, hanc ipsi a Pontificibus, quorum conatus, aususque ignotis adhuc falsarum ejusmodi Epistolarum, decretorumque praestigiis confirmabantur, mutato penitus rerum ordine exorant.. Funestissimam hanc isidorianam pestem longe lateque grassantem excepit tristior alia pernicies, ac labes, quae venenato ambitionis, adulationisque prognata semine altissimam Petri sedem, Romanamque curiam infecit indirecta nempe potestas; quae per universum terrarum orbem Gregorio VII. duce, ac auspice victricia signa undequaque circumtulit, et Divina, atque humana cuncta permiscens Sanctissimae Principum, Regumque cervici vincula injicere conata est. Hac Concilia, Pontificesque civilem potestatem sibi vicariam omnino constituunt, hac Principes, qui suam a Deo auctoritatem accipiunt, solio deturbant, hac

in

in civilia quaeque negocia, humanasque conventiones, quae ad spirituale, ut ajunt, bonum conducere videntur, omne sibi jus, ac potestatem vindicant, hac dirimentes civilem nuptiarum pactionem leges instituunt, variaque de connubialibus causis decreta faciunt. Et sane si Theologorum auctoritatem, eaque potissimum, quae in Tridentino gesta fuere Concilio, perpendere lubeat, apprime constabit, Concilia, ac Pontifices supremum illud dirimentia matrimonium impedimenta constituendi jus ex indirecta potestate praecipuo quodam veluti fonte hausisse. Nicolaus namque Bajonensis (1) et Guillelmus Mercerus (2) ut alios Theologos omittam, apertissime fatentur, concilia generalia, ac Pontifices in dirimentibus sanciendis impedimentis indirecta uti potestate, quam in civiles res habent, ut inde aliquod in christianos homines bonum proficiscatur. Sed ad Tridentinos Patres gradum faciamus, qui in clandestinis dirimendis matrimoniis, aliisque ad illud spectantibus conficiendis decretis indirectam adhibuisse potestatem luculentissimis factis demonstrarunt. *Cum enim a Tridentinis Patribus, ac Doctoribus quaererentur rationes*, inquit Pallavicinus, ut superius diximus, et nunc quoque repetere juvat, *quibus haud mutata Sacramenti natura clandestinum matrimonium posset irritum fieri, declararetur,*

E

(1) In decalog. cap. 9. sect. 9. *Papa, vel concilium generale dum statuit impedimenta, utitur potestate indirecta. quam habet circa res temporales in ordine ad bonum spirituale fidelium.* . . .

(2) In part. 3. D. Thomae q. 50. de impedim. matr. . . . . . *Matrimonium est contractus civilis: ergo ad ipsum pertinet Principes de illo curare . . . Pontifex autem nonnisi indirecte quatenus scilicet id necessarium est ad finem spiritualem.*

tur, Camillus Campegius eam invenit, et proposuit, non mutari videlicet Sacramentum, etiamsi quis efficiat, ut quod Sacramenti materia est, desinat Sacramenti materia esse. Qui autem civilem matrimonii contractum sustulerit, personas ad contrahendum reddens inhabiles, continuo effecturum dixit, ut matrimonii contractus non possit amplius Sacramenti superesse materia.... Camillo Campegio, cui difficultates omnes facile solventi applaudebatur a quamplurimis Antoninus Solysius reclamavit, non quod inquiens Campegii vera non esset speculatio, sed quod eam ad institutum applicari non conveniret, quia ejusmodi contractus sic irritos, ac nullos facere ad saeculares magistratus pertineret. Inventus a Campegio rescindendi clandestini conjugii modus Tridentinis Patribus omnino placuit, qui tale de clandestinis dirimendis matrimoniis decretum ediderunt. *Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, et annullat*. Ex quibus huc usque disputatis illud efficitur, et cogitur, quod Tridentini Patres dum clandestina matrimonia decreverunt infecta, nec aliud sibi habuere propositum, quam ut cives ad contrahendum matrimonium inhabiles redderent, ipsamque civilem nuptiarum pactionem tollerent, atque dirimerent. Quid igitur clarius, quid praestantius, quid opportunius inveniri aut exoptari poterat ad hoc, ut facile sibi quisque suadeat, Tridentinos Patres in suis conficiendis nuptiali-

bus

bus decretis indirecta illa, quae tunc temporis latissime patebat, usos potestate fuisse? Quid amabo, aliud agit Princeps cum dirimentia matrimonium impedimenta praescribit, quam cives ad illud ineundum inhabiles reddere, et connubiale pactum, nisi aliquae accedant conditiones, infringere? At nonne idipsum a Tridentinis Patribus factum est, qui clandestinis tollendis matrimoniis ad connubiale contrahendum pactum inhabiles cives reddunt, illudque cassum infectumque declarant, quod tum Parochi, tum duorum testium praesentia destituitur? Tridentini igitur Patres hac in re eodem illo, quod Principum proprium est, usi sunt jure, et civile prorsus negocium tractarunt. Quoniam vero praecipuam illam, qua eo ipsi devenere, causam potissimum extitisse declararunt, ut omnis christianae societati peccandi tolleretur occasio, cognosci indè facile potest, et eos indirecta uti voluisse potestate, quae in negociis suapte natura civilibus spirituali aliquo christianorum proposito bono dirigendis, statuendisque versatur. Quod certe eo magis confirmatur, si ad ea quae adversus mulierum praedones Tridentini Patres decreverint, animum parumper advertere lubeat. Postquam enim cautum ab iis fuit, *inter raptorem, et raptam, quamdiu ipsa in raptoris potestate permanserit, nullum posse consistere matrimonium;* tales contra raptores ipsos poenae constituuntur. *Nihilominus raptor ipse, ac omnes consilium, auxilium, et favorem illi praebentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu excidant.* Neminem sane praeterit, unius Principis esse, civilisquè reipublicae, et

 quis-

quispiam infamia notetur, et dignitatibus honoribusque arceatur. Quo igitur pacto raptores eosque omnes, qui nefariam raptoribus opem sceleftumque consilium adferunt perpetua inurere infamiae nota, et quibuscumque dignitatibus ac publicis muneribus prohibere potuissent Tridentini Patres, nisi habita indirectae potestatis ratione, quae cum longius serperet, atque manaret vel ipsas tantorum antistitum mentes infecerat. Ex hisce igitur, quae hactenus disseruimus, apertissimè colligitur, ecclesiasticum illud dirimentes matrimonium leges ferendi jus ab adulterinis Evaristi, Callisti, Fabiani, aliorumque Pontificum decretis, nec non a commentitia illa indirecta potestate suum duxisse principium. Hinc factum est, ut Principes, Regesque, ad quos dirimentia civilem nuptiarum pactionem impedimenta statuendi potestas unice pertineret, ecclesiasticam hanc in matrimonium auctoritatem ex impurissimis hujusmodi fontibus omnino haustam tacito quodam assensu ratam habuerint, atque firmaverint. Quod quidem cum varia rerum tempora, tum etiam diversae civitatum conditiones, et status postulare videbantur. Cum enim vastissimum illud Romanorum Imperium gentibus immanitate barbaris undequaque irruentibus in plurima regna, variosque principatus divisum fuisset, atque distractum, in quorum singulis si supremam illam, qua divino, ac naturali jure pollent, dirimentia matrimonium impedimenta sanciendi potestatem exercere voluissent Principes, atque Reges, maximam reipublicae perturbationem, confusionemque attulissent, hinc bene, ac sapienter institutum est, ut hujusmodi provincia ecclesiasticae dimitteretur potestati, quae cum latissime

pate-

pateret, magis universales hac de re leges condere poterat, ex quibus pacatus ille rerum ordo, atque hujusmodi impedimentorum quasi concentus, consensusque retineretur. Non immerito igitur sacra praestantes eruditione viri Petrus Sotus, ac Van-Espenius in eam discessere sententiam, ut sibi adfirmandum existimarent, ecclesiasticam in matrimonium potestatem ex tacito Principum dimanasse consensu. At vero quid facerent difficillimis illis temporibus nati Principes, ac Reges, qui impotenti Romanorum Pontificum dominatu adeo exercebantur, qui immanibus romanae curiae conatibus, minisque acti, fractique, qui subditis pontificio sollicitatis astu populis divexati regiam jam vacillantem, vel potius jacentem majestatem sentiebant, ex quo potissimum tempore Gregorius VII. tanta in ipsos barbarie, inauditaque crudelitate bacchatus est? Quid facerent, si dolenda illa temporum tristitia nonnulla ex sanctioribus, quae ad regiam majestatem pertinerent juribus sacerdotali cessere potestati, ut tali decisione facta, alia vel principatui alte insixa sibi permitterentur. O divinam Principum, Regumque majestatem afflictam, altissimoque, quo te constituit Deus ipse, statu pene dejectam! quo tunc abiit priscus honor, quo decus, quo dignitas, ac divinis undequaque radiis stipata lux illa, quam adeo venerabatur Ecclesia, Pontifices verebantur, divinaeque veluti particulam aurae sacerdotes admirabundi colebant! Ah veteris vix umbra decoris apparet, antiquae et vestigia formae! Verum sume animos inclyta numinis progenies, erit, erit illud profecto tempus, adveniet nec longe aberit, dies, formosa dies, qua

 an-

antiqua dignitate recepta diu multumque laetabere: fraterni divinitus surgent ab Aquilone Reges, qui anilibus, ridiculisque sublatis, atque revulsis superstitionibus, qui praejudicatis opinionibus deletis, qui ingruentibus fugatis errorum tenebris pristinam tibi amplitudinem, decusque restituent, tuaque novam in lucem vocabunt jura sanctissima, quae universae hominum societati regendae necessario conducunt. TU CUM CAESARE LEOPOLDUS ERIS. Oh illos Pontifices, oh illos Episcopi, oh illos religionis sacerdotes sequimini, eorumque semper adorate vestigia. Vos Concilii Africani Patres, quos inter D. Augustinus eminuit, hortantur, qui in iis, quae ad evangelicam disciplinam attinerent, quia tamen de connubiali conventione agebatur, ad Imperatotem confugiunt, ab eoque promulgari legem petunt. Vos suadent Arelatenses, vos Moguntiaci, vos Turonenses, vos Cabilonenses Antistites, qui in suis conficiendis decretis Imperatoris ope, atque doctrina egere se praedicant, eaque Imperatori examinanda subjiciunt, ut suo ad arbitrium correcta, atque emendata judicio, sua deinceps auctoritate confirmet. Vos praecipiunt romana illa, quibus olim Eugenius, et Leo praefuere, Concilia, quae Lotharium, et Ludovicum Imperatores suos una voce dominos pronunciant, atque compellant. Vos jubet divino plenus numine Paulus, qui vos regali subjectos esse potestati conceptis admonet verbis, vobisque regum voluntati reluctantibus extrema mortis supplicia minatur. Vos denique religio, vos parens rogat Ecclesia, ut tantos ipsa Principes, Regesque, vigiles sui custodes, acerrimos vindices, praesentesque veluti Deos sentiat, atque experiatur.

CAP.



CAP. VIII.

Falluntur, qui ex divino Christi instituto supremum dirimentia matrimonium impedimenta sanciendi jus Ecclesiam, ac Pontifices accepisse contendunt.

HAec ego dum scriberem in meas incidit forte fortuna manus famosus quidam libellus, quem adversus doctissimum ac sanctissimum Pergensem Episcopum edidit inconsultus quidam attritae, fractaeque divinitus Jesuiticae societatis alumnus sub adscititia Episcopi larva latitans: aesopianum fortasse graculum imitatus, qui inani tumens superbia pavonum se pennis ornavit, eorumque formoso immiscuit se gregi. Ast illi impudenti pennas eripuerunt avi, rostrisque fugarunt. Ipse namque personatus Episcopus vehementissimo romanam erga curiam actus studio, quique non Augustini, non Arnaldi, non Pascalii, non Bossueti, non Dupini puriore institutus doctrina, sed Bellarmini, ejusque gregalium infaustis sub penetralibus enutritus effutiit, Ecclesiam ac Pontifices non ex falsis decretalibus, non ex Principum consensu, aliove externo principio, sed ex ipso Christi instituto supremum in nuptialem pactionem jus accepisse; idque tum ex ipsius Christi verbis *Pasce oves meas*, tum etiam ex eo,

quod Christus, et Apostoli de matrimonio tulerunt, judicio probare contendit. Haec quidem argumenta, quibus adeo exultat personatus Episcopus, risu potius excipienda, quam rationibus explodenda videntur. Et requidem vera quomodo ex illis Divini Magistri verbis: *Pasce oves meas*, quibus Petrus, et Apostoli docentur, ut creditas sibi oves exemplo, et doctrina pascant, erui poterit, Ecclesiam ac Pontifices eam a Christo accepisse, quae ad solos Principes spectat, dirimendorum conjugiorum potestatem? At nonne, rerum dulcissime, ubi sanctissima Christi verba in alium ac ipsa sonant, sensum detorquere non puduit, Tridentinae Synodi decretum adversus petulantes sacrarum literarum interpretes editum succurrit? *Praetera*, sic sessione quarta, *ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam sanctam interpretari audeat, etiamsi ejusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint per ordinarios declarentur, et poenis a jure statutis puniantur*. Quod certe decretum in fidei confessionem transiit. *Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam, et interpretabor*. Cum igitur personatus

fonatus noster Episcopus in eam scripturae verba sententiam, quae nullus sanctorum Patrum de ferendis ab Ecclesia, Romanoque Pontifice circa nuptialem pactionem legibus accepit, deflectere non dubitaverit, quis veluti tridentinae constitutionis, ac fidei professionis violatorem, contemptoremque non improbaverit, atque damnaverit? Quod si in trasferendis sacrarum literarum verbis ad ferendas de nuptiali conventione leges ineptiit, in conficienda certe ab judicio, quod Christus, et Apostoli de matrimonio tulerunt, ecclesiastica in matrimonium ipsum potestate desipuit. Christus namque, quod divini, et naturalis juris erat, exposuit, quae quidem potestas in Apostolos, et Ecclesiam manavit, quae christianos populos ea docere potest, quae tum in nuptialibus conventionibus, tum in aliis quibuscumque hominum pactis divino, naturalique juri adversantur. Verum hoc a supremo illo civilem dirimendi nuptiarum conventionem, civesque iis, quae a matrimonio ipso proficiscuntur, bonis spoliandi jure differt vel plurimum.

CAP.



CAP. IX.

Tridentini Concilii Canones, qui adversariorum, ac personati Episcopi sententiae adstipulari videntur, exponuntur.

PErtinacissimi romanae curiae cultores, quos inter personatus noster Episcopus principem locum tenet tridentinos canones utpote anathematis poena munitos maxima opum vi nobis objiciunt, quibus catholicum constitutum dogma contendunt, Ecclesiam dirimendorum connubiorum habere potestatem. Hujusmodi certe canones in medium hic ferre abs re non duco. *Si quis dixerit*, sessio 14., *eos tantum consanguinitatis, seu affinitatis gradus, qui levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit.*

Si quis dixerit, non potuisse Ecclesiam constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.

Verum non ego prius manum operi admoveam, quam planum fecerim eos turpissime labi, qui hujusmodi tridentinos canones utpote anathematis poena munitos ad fidem pertinere commi-

minifcuntur. Et requidem vera non omnis, qui anathemate firmatur, canon, dogmaticus continuò evadit, sed ex illius fine, natura, atque indole fpectandum eft, an de re, quae ad fidem pertineat, nec ne agatur, quin aliquod vel omnia in unum collecta anathemata negocium facessere debeant. Cum igitur tridentinorum, de quibus fermo eft, canonum materia nullum prae fe fidei dogma ferat, perfpicuum eft, ejufmodi canones ad difciplinam duntaxat pertinere ea prorfus ratione, qua non ad fidem, fed ad folam difciplinam fpectant Romani Concilii a Gregorio juniore coacti canones, quibus nonnullae quae negligebantur, de matrimonio leges, anathemate confirmantur: *fi quis commatrem fpiritualem duxerit in conjugio anathema fit: fi quis confobrinam fuam duxerit in conjugio anathema fit:* quaecumque igitur ad fidem fuapte natura non pertinent, nec millibus indictis anathematibus in catholicum dogma evadunt. Verum efto, quod hujufmodi tridentini canones dogmatici habeantur. Quid vero? nunquid vel ex eo effici poterit, Tridentinis definitum fuiffe Patribus, infitum Ecclefiam habere jus eas ferendi leges, quibus civilis nuptiarum conventio dirimatur? Minime gentium. Enim vero ut finceram hujufmodi canonum vim, rationemque affequamur, praecipuum illum, quo iis fanciendis Tridentini Patres fpectarunt, finem inveftigemus oportet. Ipfa fcilicet fynodus teterrimum lutheranorum errorem, qui nullis hominum legibus dirimentia conftitui poffe matrimonium impedimenta eaque folum, quae in levitico exprimuntur, retinenda effe contendebant, potiffimum damnavit atque convellit. *Conjunctio*, fic in eo quem de babylonica captivitate infcripfit

Lu-

Lutherus libro habetur, *viri, et mulieris tenet, quocumque modo contra leges hominum contigerit*. Ex quo principio certum quoddam veluti consectarium colligebat: *debere sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quae contra ecclesiasticas, vel pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, et quae non sunt in sacra scriptura expressa*. In eo igitur tota fuit Tridentina synodus, ut Lutheri commentum, quo nullum humanae potestati in matrimonium jus tribuebatur, hisce editis canonibus omnino labefactaret. Hoc igitur unum ad dogma pertinere dicendum est, quod nempe praecipuum veluti sibi finem proposuit synodus. Nusquam ibi disputatum est instituta de civili, atque ecclesiastico in matrimonium jure contentione. Cum igitur Tridentinis cautum Patribus fuit, *Ecclesiam potuisse, ac posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia*, id praeter propositum sibi finem adjectum, abiis est proindeque a catholico fidei dogmate abhorrere nemo non sentit. Quidquid enim a proposito, veraque definitionis ratione alienum adjungitur, in catholicum fidei dogma nequit evadere. Sic cum proposita Nicolao primo a Bulgaris fuisset quaestio, ut refert Canus, (1) an baptizatus a Pagano, vel Judaeo verum baptismi Sacramentum suscepisset, responsum insuper ab eo fuit, etiam Baptismum in Christi nomine collatum valere. Quamobrem communi doctorum suffragio receptum est, id omne ad pontificiam definitionem non pertinere, cum Pontifex de suo non interrogatus atque in transcursu, ac per transennam illud adjiciens a proposita sibi quaestione aberraverit. Hinc et quoad rem nostram attinet, illud

(1) Lib. 6. de loc. c. 8.

illud unice retinendum est, quod Tridentino propositum Concilio fuit, civilem nempe nuptiarum pactionem humanae subjacere potestati, ita ut dirimentibus ab ea coerceri legibus possit, quod quidem impius novator ille anathemate ideo perculsus perfracte negabat. Ex quo patet, nomen illud Ecclesiae sacris hisce obiter insertum canonibus accessorium esse proposito illi, quem Tridentini Patres ob oculos potissimum habuerunt, fini lutheranorum nempe damnandi commentum, qui, ut superius diximus, nullis matrimonium obnoxium fuisse legibus effutiebant. Quoniam vero perspectum, exploratumque est, principale, non accessorium retinendum esse, illudque, non hoc ad dogmaticam definitionem pertinere, sequitur, ut hujusmodi nomen Ecclesiae veluti accessorium nullo habendum in pretio sit, solumque principale, quo Tridentinum Concilium cum primis spectavit, tenendum omnino sit, atque ad dogma pertineat.

Verum etiamsi daretur, quod certe negamus, Tridentino definitum fuisse Concilio supremum Ecclesiae in matrimonium jus esse, cum tamen illud ex adulterinis Evaristi, Fabiani, ac Callisti decretis, quae tunc temporis vera, sinceraque habebantur, nec non ex indirecta commentitia illa potestate profluxerit, qua Tridentini innixos fuisse Patres, ubi celebre de clandestinis tollendis matrimoniis edidere decretum, superius demonstravimus, perspici aptissime potest, tridentinam illam nostrae minus obesse sententiae definitionem, quippe quae commentis, falsisque principiis, ac fundamentis continetur. Huc etiam accedit, quod cum Principes, Regesque, ut loco monuimus, auctoritati illi, quam

Con-

Concilia, et Pontifices ex falsis decretalibus epistolis, atque indirecta potestate hauserunt, tacita consensissent approbatione, neque Tridentini Patres suis illis superioribus canonibus declaraverint, proprione, an alieno, atque adscititio jure, dirimentia matrimonium impedimenta constituere potuerint, quemadmodum conceptis verbis praeclarissimus testatur Van-Espenius, consequens omnino est, omnem adhuc dubitationi superesse locum, utrum hisce decretum canonibus fuerit, proprione, an alieno jure dirimendorum connubiorum potestatem habuerit Ecclesia. Porro, cum ea in rebus dubiis sumi debeat interpretatio, quae naturali rerum ordini, ac rationi, magis, magisque congruit, animadvertendum cum primis est, consentaneum magis ne sit, Tridentinos definisse Patres proprio, an alieno jure Ecclesiam potuisse ac posse dirimentes matrimonium leges constituere. Cum autem dirimentes illae matrimonium leges civilem pactionem, quae non ad Ecclesiam, sed ad solos Principes, Regesque ex ipso naturae, ac Supremi rerum omnium Opificis instituto pertinet, attingere ex iis, quae superius disputavimus, satis, superque innotuerit, ergo Ecclesia, quae nativo in civilem nuptiarum conventionem jure caret, sola Principum ipsorum quibus illud insitum est, assensione dirimentia matrimonio impedimenta praescribit; ergo Tridentini Patres suis illis condendis canonibus decrevisse dicendi sunt, Ecclesiam non jure proprio, sed alieno, tacita nempe Principum indulgentia eas nuptiali conventioni statuere posse conditiones, sine quibus prorsus irrita, atque infecta redderetur. Quae quidem Tridentinorum canonum interpreta-

tio

tio et rectae rationi, et ipsi consonat naturali rerum ordini, ex quo omne in civilem pactionem, ubi dirimentia nituntur impedimenta, jus ad Principes duntaxat, non ad Ecclesiam pertinere saepe saepius docuimus, neque hujusmodi canonum interpretatio Tridentinorum Antistitum menti, ac sententiae vel minimum repugnat. Nam, ut nuper enimadvertimus, Lutherus effutiebat, omnia illa, quae matrimonio legibus praescriberentur impedimenta iniqua, ac tyrannica esse, cum id ad solum divinum jus pertinere judicaret. Quare licet Ecclesia non jure proprio, sed tacita Principum venia dirimentes matrimonium leges instituerit, non inique, sed rectè id facere potuit. Hinc et potuit et tandiu poterit dirimentia constituere impedimenta, quandiu Principes facultatem illam, qua Ecclesiam ipsam uti passi sunt, ratam habuerint, proin leque non immerito decrevit, se potuisse, ac posse constituere impedimenta praeter illa, quae in levitico exprimuntur, quaeque utpote divinae addita legi, et tyrannice inducta, vel ab Ecclesia confirmata aboleri Lutherus contendebat. Ex quibus omnibus apertissime constat, tridentinorum canonum veritatem ac sanctitatem sartam, tectamque servari quin definiretur, quod absre prorsus erat, an scilicet Ecclesia proprio, vel alieno jure dirimentia matrimonium impedimenta sancire potuerit. Quapropter nunquam audiendi sunt, qui hujusmodi tridentinis canonibus decretum fuisse putant, Ecclesiam nativo proprioque dirimendorum connubiorum jure potiri.

CAP.



CAP. X.

Ex eo, quod Ecclesia supremum in connubialem conventionem jus vel ab antiquissimis usque temporibus teneat, atque possideat, nunquam effici potest, ut ab eo deturbari nequeat, vel Principes nativam illam, qua divinitus pollent, in matrimonium potestatem amiserint.

NOnnulli aulae romanae proceres, quibus personatus noster Episcopus perbelle *concinit*, ad diuturnam illam, qua in sanciendis dirimentibus matrimonium impedimentis usa vel a superioribus usque saeculis Ecclesia fuit, possessionem confugiunt, ex qua certissimam, tutissimamque pro Ecclesia ipsa praescriptionem inducere conantur. Verum plura hac in re consideranda videntur. Primo igitur non hic quid *facti*, sed quid juris, inquirimus. Ecclesia de connubiali pactione leges tulit, quid tum? sed jure eam tulisse demonstrandum est. Deinde plurimis conciliorum legibus sola vis erat non dirimendi, sed impediendi matrimonium eos inter christianos, qui non bene paratos ad tantum suscipiendum Sacramentum animos gerebant. Si quae vero a conciliis latae posterioribus Ecclesiae saeculis dirimentes

rimentis matrimonium leges occurrunt nullam vim habebant, nisi quatenus suprema Principum auctoritate firmarentur, quod ut fieret, non pauca concilia a regibus postulasse opportunius animadvertimus. Plurimae quoque civilibus illis, quae jam Justinianeo in codice extabant, constitutionibus nitebantur, easque anathamate, aliisque spiritualibus, ut vocant, poenis muniebant. Supremum in connubialem conventionem jus Ecclesia sibi vindicare coepit nono saeculo, quo adulterinae decretales epistolae atque indirecta Pontificum, ac ipsius Ecclesiae in civiles res potestas, de quibus alibi sermonem fecimus, prodierunt, donec tandem undecimo, ac duodecimo vertente saeculo, quo Burchardus, Ivo Carnatensis, et Gratianus hujusmodi decretales collegerunt, plenissimo in matrimonium jure potita est. Cum igitur supremum Ecclesiae in civilem nuptiarum pactionem jus, quod longissimo tempore quaesitum, praescriptumque contendunt a falsis decretalibus, commentitiaque illa indirecta potestate proficiscatur, dictu nefas est, Ecclesiam ex hujusmodi tam vitiosis, tam absurdis principiis eam, a qua dejici amplius nequeat, comparare sibi potuisse possessionem. Praeterea quae alienari nequeunt, nec certe, nec rite possideri, et praescribi possunt. Cum autem suprema illa dirimentes matrimonium leges ferendi potestas ita Principibus inhaereat, ut avelli ab iis nunquam possit, apertissime colligitur, nec eam alienari nec possideri, nec praescribi, quamvis suum hujusmodi alienationis Principes praebuissent assensum. Ergo Regibus, atque Principibus integrum semper est, eam, quam Ecclesiae concessere, dirimentia matrimonium impedimenta statuendi

tuendi poteſtatem, ſibi iterum vindicare, Eccleſiamque ipſam vel diuturna, quam primo falſis decretalibus, atque indirectae poteſtati, deinde tacitae expreſſaeve Principum veniae acceptam refert, poſſeſſione dejicere. Aſt o tempora, o mores, o miſerandas humanarum rerum vices, o fata, o infortunia! Aureis illis antiquioris Eccleſiae temporibus omnes vel ejus miniſtri ſuam Principum poteſtatis jurisdictionem ſubjectam, ut par erat, agnoſcunt, Concilia ad Imperatorem confugiunt, ſuum dominum vocant, quaecumque decernunt, ejus oculis emendanda, ac corrigenda ſubjiciunt, nullum non movent lapidem, quin ad Principes, Regeſque confugiant, quin eos conſulant, quin eorum juſſa, et imperia venerabundi ſequantur. Tanta, meritaque ſacerdotum obedientia moti Principes, atque Imperatores ampliſſimos illis rependunt honores, et gratiam, eas, quae ad civilem Rempublicam pertinent, cauſas ipſis delegant, eoque progrediuntur, ut illos, eorumque bona tributis, ac vectigalibus pronuncient immunes. Verum omnis labentibus annis ratio mutata, atque inverſa eſt. Ipſi Religionis antiſtites divinis, humaniſque neglectis, ac fractis legibus Eccleſiaſticam civili poteſtati ſubjectam jurisdictionem negant, ipſorumque Principum voluntati, juſſis, imperio ſub falſo religionis obtentu parere detrectant. Quin imo eadem jura, quae Principes ſingulari quadam indulgentia ducti, cum ſacerdotibus, atque Epiſcopis communicarunt, velut urbana, ac ruſtica praedia forent, praeſcripta exclamant, et beneficia Principum in Principes detorquendo teterrimum in eos dominatum exercere nituntur. Adlaborarunt quidem Principes, Regeſque ſervile jugum illud, quod neque na-

tura,

tura, neque religio unquam imposuit, suis cervicibus dejicere, sed nunc majoribus imperii negociis distenti, nunc exquisita ministrorum solertia alio distracti, nunc variis Regni conversionibus praepediti ab incepto destiterunt. Interea sanctissima Dei sponsa luget Ecclesia tristissimamque horum temporum lamentata fortunam vel altiori praestantes dignitate sacerdotes graviter admonet, atque increpat, ne religionis custodes laedat, ne sacrorum canonum vindices illiberaliter tractet, ne majori secundum Deum unum potestati resistat. At dulcissimas matris Ecclesiae voces pervicacissimi ejus administri despiciunt, durasque negant demittere in aures. O iterum tempora, o mores, o rerum humanarum vices, o infortunia!





CAP. XI.

Nonnulla personati Episcopi argumenta, quibus Ecclesiasticas in connubialibus judicandis causis leges civilibus praestare contendit, omnino diluuntur.

ILlud certe stomachum vehementer movet, quod personatus noster Episcopus temere obgannit, Ecclesiasticas leges in iis potissimum rebus, quae ad connubiales causas pertinent civilibus dignitate, ac vi legibus adeo praestare, ut hae illis longe, multumque concedant. Haec vero solutiore refutanda cachinno forent, nisi plures reperirentur vel sacra redimiti infula viri, quorum nimia imbutis religione animis falsissima hujusmodi penitus insideret opinio. Quae quidem licet altius insita evelli facile poterit, si quod saepe monuimus, meminisse juvabit, matrimonium nempe quatenus civilis conventio, et quatenus sacramentum est, considerari; inde enim sequitur, et nonnullas connubiales causas ad matrimonium, qua civilis conventio est, alias vero ad illud, prout Sacramentum est referri: quae ad civilem pactionem pertinent, civiles, quae ad Sacramentum spectant, spirituales vocari solent. Illae nuptialem pactionem bene recteque instituunt, atque moderantur, cujusmodi sunt causae quae ad diri-

mentia

mentia pactionem ipsam impedimenta, ad dotes, successiones, et haereditates spectant. Spirituales vero sunt, quae ad matrimonium, quatenus Sacramentum est, nempe ad Sacramenti matrimonii institutionem, ministros, gratiam, effectus, ritus, aliaque id generis pertinent. Illae, civiles nempe ad civiles, ac politicos magistratus, hae, spirituales scilicet ad ecclesiasticos judices spectant. De connubialibus hisce causis ideſt spiritualibus, non de aliis ipsa rei natura, et ratio docet tridentinum illum intelligendum esse canonem, quo definitur (1), *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit*. Ecclesiasticae igitur leges in iis, quae ad matrimonium, prout Sacramentum est, causis pertinent civilibus legibus antecellunt, quemadmodum civiles ipsae leges in iis, quae ad matrimonium idem, quatenus civilis conventio est, causis attinent, ecclesiasticis constitutionibus praestant. Rectissimae huic, necessariaeque connubialium causarum distributioni animum advertere dedignatus est personatus Episcopus, proindeque non potuit, quin tot, ac tanta absurda jaceret. Jam vero ad illa enucleanda facta, quibus sententiam tuetur ipse suam, gradum faciamus. At si turpiter in interpretandis juribus, turpissime in evolvendis annalium factis propria hunc lusit, ac fefellit opinio. Quid ni? Legem *celebrandis* ab Arcadio, et Honorio latam qua consobrinorum matrimonia a Theodosio seniore jampridem vetita permittebantur, a D. Gregorio M. per decretalem illam epistolam *quaedam lex terrena* (2) abrogatam scribit. Hinc ci-

(1) Can. 4. sess. 14. *caus.* 35. c. 20.
(2) Refertur a Graciano

civiles alias leges infamiae labem iis inurentes, qui ad fecundas nuptias tranfeunt, ac matrimonium raptoris cum rapta damnantes ab ipfo facerdotio antiquatas, fublatafque commemorat, argumentum inde conficiens, quod in connubialibus caufis civile facerdotio cedat imperium. Verum quam indocte, quam audacter, quam impudenter ipfe garriat, nemo eft, qui non intelligat. Antequam autem ultra progrediamur, animadvertendum cum primis eft, neque Ecclefiam, neque Pontifices, ea pollere auctoritate, qua Principum refcripta, legefque abrogent, nifi, ut ait Catharinus (1) forte viderint, quod a lege civili conftitutum erat, vel contra jus divinum effe, vel contra jus naturale. Deinde quamvis hujufmodi Principum leges naturalibus divinifve praefcriptis adverfarentur, nullaeque proinde ipfo fint jure, nullum tamen vel oecumenicum Concilium, non Pontifices, non Epifcopi hoc unquam fibi arrogarunt, ut eas contrariis refcinderent refcriptis, fed id ab ipfis Principibus exorarunt. Quod quidem a Photio Tyri Epifcopo, Chalcedonenfis Concilii Patribus, ac D. Gregorio Magno factum legimus, qui nonnullas Principum leges, quas etfi divinis praeceptis, facrifque canonibus alienas exiftimarent, nihilofecius nullis contrariis fuftulere refcriptis, fed ab Imperatoribus, ac Principibus refcindendas effe profefsi funt. Optime namque fentiebant, omnem fibi abdicatum a Chrifto fuiffe dominatum, eofque ab uno judicandos effe Deo Re-

(1) **Quaeft. de clandeft. matrim.** *oportet enim canones civilem aliquam leges irritantes ab aliqua folida ratione proficifci, nulla vero poteft effe ratio alia, nifi quia forte viderint quod a lege civili conftitutum erat vel contra jus divinum effe, vel contra jus naturale.*

Reges, ac Principes, qui neminem praeter Deum ipſum ſuperiorem habent in terris. Quod ſi vertentibus annis a ſapientiſſimo hujuſmodi veteris Eccleſiae inſtituto deſcivere Concilia, atque Pontifices, non inde tamen bene, riteque factum, aut Principum juri derogatum fuiſſe conficiendum eſt. Veritas namque immota manet, illamque non invida annorum ſeries, non perſonarum patrocinia, non regionum privilegia, non Conciliorum decreta, non Pontificum reſcripta immutare, ac perturbare poſſunt. Sed redeamus ad illud, unde divertimus. Lex illa *celebrandis*, quae in Juſtinianeo codice extat (1) ſic ſe habet: *celebrandis inter conſobrinos matrimonii licentia legis hujus ſalubritate indulta eſt, ut revocata priſci juris auctoritate, reſtinctiſque calumniarum fomentis, matrimonium inter conſobrinos habeatur legitimum, ſive ex duabus fratribus, ſive ex duabus ſororibus, ſive ex fratre, et ſorore nati, et ex matrimonio editi legitimi, et ſuis patribus ſucceſſores habeantur*. Decretalis vero Epiſtola illa, quam Gregorius ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ſcribit, quaque legem illam *celebrandis* abrogatam obtrudit perſonatus Epiſcopus, ſic a Gratiano refertur. *Quaedam lex terrena in Romana Republica permittit, ut ſive fratris, et ſororis, ſeu duorum ſororum filius, et filia miſceantur, ſed experimento didicimus ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere, et ſacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde neceſſe eſt, ut in quarta, vel in quinta generatione fidelium licenter ſibi conjungantur*. Legem *celebrandis* plane novam, falſam, et a Triboniano confictam, atque in codice repetitae prae-

 le-

(1) L. 19. c. de nupt.

lectionis suppositam esse contendit maxima praeclarus eruditione Sirmondus in eo, quem vocat, *quaestio triplex*, libello, ad quem, ne actum agamus, sapientem lectorem rejicimus. Decretalem vero illam Epistolam Gregorio pariter indignam, proindeque inter adulterinas ab Isidoro Mercatore confictas epistolas recensendam putant plures emunctae naris viri. Et sane quomodo Pontifex ille, qui tantam Imperatoribus, ac Principibus reverentiam, atque obsequium exhibuit, ut eorum leges, quas vel divinis praeceptis contrarias existimaret, prorsus exequeretur, atque publicaret, mox Protei in modum mutatus eam Imperatoris legem, quae non a divinis, non naturalibus, non ecclesiasticis institutis discreparet, contrariis rescriptis rescinderet, atque labefactaret. Quomodo legem, qua de agitur, in romana vigere republica decretali illa sancitur epistola, si ea in orientali solum Imperio, quod Arcadio obtigerat, vim habebat, cum in occidentis partibus, quae Honorio obvenerant, ea valeret ipsius Honorii constitutio, qua cavebatur, ut vetitae consobrinorum nuptiae solo Principis rescripto impetrarentur? (1) Quid vero

tanto

(1) Ipsa namque lex *celebrandis* si vera, ac sincera est quod, ut innuimus plures eruditissimi viri negant, solum auctorem habet Arcadium, non Honorium, quamvis utriusque Imperatoris nomen praeferat. Licet enim divisis Imperii partibus Arcadio orientis, Honorio occidentis Imperium obtigisset, atque ab uno tantum Imperatore scripta lex esset, tamen nomina constitutionibus ab uno latis ex aequo inscribebantur. In Oriente igitur Arcadii, in Occidente Honorii constitutiones valuere; ille suas Constantinopoli, hic Ravennae dabat. Sic igitur lex illa *celebrandis* solum Arcadium auctorem habuit, atque ad Orientem pertinuit. Quid Honorius per occidentem?

Ille

tanto Pontifice indignius, quid intolerabilius, quid absurdius consobrinorum detestandi nuptias, et Principis legem eas permittentem rejiciendi argumentum ab eo unice petitum, quod ex tali conjugio soboles non possit succrescere, nunquidne? si Brutus, si Marcellus, si Julianus nullam ex consobrinis sobolem susceperunt. Nunquid si Melinus initum cum consobrina sua Cluentia matrimonium subito divortio diremit, nunquid si Marcus Philosophus infelices ex Faustina consobrina liberos creavit colligi inde fas erit, ex consobrinorum conjugio *sobolem non posse succrescere*? Quis unquam ab eventu, qui a pluribus emergere causis poterat, facta notanda existimavit? At nonne Jacobus numerosam beatamque ex consobrinis prolem genuit? Nonne Sp. Ligustinus, ut complures alios faciam missos, apud Livium gloriatur *Quum primum in aetatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit: quae secum nihil attulit, praeter libertatem pudicitiamque, et cum his foecunditatem, quanta vel in diti domo satis esset, Sex filii nobis duae filiae sunt: utraque jam nupta Filii quatuor togas viriles habent, duo praetextati sunt*. Ex quibus certe, aliisque rationibus complures praestantes doctrina viri decretalem hujusmodi epistolam veluti S. Gregorio indignam reprobarunt. Verum esto, omnis legi *celebrandis* et Gregorianae, qua lex illa exploditur, epistolae fides habeatur, diligenter quaero, num consentientibus, vel dissentientibus christianis Principibus hujusmodi abrogata lex est. Si primum;

mum;

Ille ann. 409. constitutionem tulit *si nuptiae ex rescripto petantur*, qua nonnisi ex rescripto legitimas consobrinorum nuptias esse sancivit; quae quidem Honorii constitutio ad Italiam, Romamque pertinuit.

mum: inutile quod objicitur, si alterum, inutilis abrogatio legis, quae nec divinis, nec naturalibus praeceptis adversa civilem duntaxat conventionem attingit. Quae quidem si serio animadvertisset personatus Episcopus, non adeo in salebra, turpique haesisset errore. Quod autem objicitur, Pontifices statuisse, inter raptorem, et raptam ratum matrimonium esse, quod civilibus legibus irritum decernitur, purum, putumque commentum est. Sed ipsum Pontificem Innocentium tertium hac de re disserentem audiamus (1) *Rapta puella legitime contrahet cum raptore. Si prior dissensio postmodum transeat in consensum et quod ante displicuit, tandem incipiat placere, dummodo ad contrahendum legitimae sint personae.* Innocentius in hac decretali epistola non judicis, sed consultoris personam agit. Et sane civili cavetur lege ne contractum raptorem inter, et raptam matrimonium pro rato habeatur, Pontifex vero respondet, quod *rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio postmodum transeat in consensum, et quod ante displicuit, tandem incipiat placere.* Non igitur Pontifex civilem adversus raptores legem reicit sed confirmat, atque declarat. At Pontifices ab omni infamiae nota eos, qui ad secunda properantes connubia civili lege afficiebantur, vindicarunt. Id quidem verum est, at suam Pontificiae hujusmodi constitutiones auctoritatem non a sacra Pontificum, sed a civili Principum potestate assensuque ducunt ipso pronunciante Justiniano (2) *omnia enim merito nostra facimus, quia*

ex

(1) Lib. 5. decretal. tit. 17. c. 7. cap. *accedens de raptor.*

(2) L. 1 §. sed neque Cod. de vet. jur. enucl.

ex nobis omnis eis impertitur auctoritas. Ex quo satis abunde liquet, inania prorsus, ac futilia ea esse argumenta, quae in Pergensem Episcopum huc usque congessit adversarius. Verum non ille animis cadit sed magis instans, urgensque refert hinc Vigilium, qui Theodeberti Regis initum cum fratris uxore conjugium irritum fecit, hinc Leonem tertium, qui matrimonium inter primum Castiliae Regem Henricum, et Regis Lusitaniae filiam contractum diremit, hinc Gregorium quintum, qui nuptias Roberti Regis cum Berta consanguinea infectas reddidit, hinc Gallicanos Episcopos, qui Carolum magnum adduxerunt, ut Bertam Longobardorum Regis filiam impotentiae laborantem impedimento repudiaret, atque dimitteret. Verum ut a primo exordiamur; puerisne, mi sodes, credulisque puellis verba dare putas? Theodebertus nullum habuit fratrem, quomodo igitur initum cum uxoris fratre matrimonium, illudque a Pontifice diremptum venditas? spectatum admissi risum teneatis amici? Turpiter errasti, amice, errorem lubens, nec invitus monstro. Illa scilicet vigilianae epistolae verba ad Caesarium Arelatensem scriptae, quibus Pontifex ipse se a Theodeberto consultum docet, *cujusmodi poenitentia possit purgare delictum, qui cum uxore fratris sui illicitum praesumpsit inire conjugium*, de Theodeberto, qui nullum fratrem habuit, intelligi nequeunt, inquit Pagius et Contius, sed de quodam Franco, qui cum uxore fratris sui illicitum connubium iniverat. Sic Theodebertus a Papa sciscitatur, qua affici debeat ille poena, qui cum uxore fratris sui nuptias egerat. O gravissimum, quo personatus Episcopus implicatus adeo fuit, errorem, o inauditum, ridendumque

com-

commentum! Quid vero? quis fuit Henricus ille Castiliae Rex, qui sub Leone tertio vixit? hunc invenias, hunc reperias, hunc mihi memores, et magnus mihi eris Apollo. Siccine acerrimi illi romanae curiae vindices atque cultores mendaciorum, errorumque plena comminiscuntur facta, quibus eam, quam nunquam in nuptiale pactum habuit, potestatem affingant Ecclesiae, quae falsitatis indigam non esse patet luculentissime. Quid de matrimonio illo, quod cum Berta consanguinea sua contraxit Galliarum Rex Robertus, dicemus? Nonne vel ex eo regia in matrimonium potestas a Gregorio retenta elucet quammaxime? siquidem Gregorius ipse, romanumque, cui praefuit Concilium, Theodosii, aliorumque Imperatorum legem, qua consanguineorum matrimonia vetabantur, retinuerunt, atque confirmarunt. Quare duos illos qui ad rem pertinent, canones referre praestat, ut sincera, ac nuda illa, quae cuipiam homini cordato debet esse curae, veritas magis magisque elucescat. Primus sic se habet. *Ut Rex Robertus consanguineam suam Bertam, quam contra LEGES in uxorem duxerat, derelinquat, et septem annorum poenitentiam agat, ut secundum praefixos ecclesiasticos gradus judicatum est, quod si non fecerit, anathema sit, idemque de eadem Berta fieri praeceptum est.*

Alter. *Erchambaldum Turonensem Archiepiscopum talis conjugii consecratorem cum omnibus Episcopis, qui consentientes interfuerunt his incestis nuptiis Regis, et Bertae consanguineae suae sacrosanta communione suspendimus, donec ad hanc sanctam sedem apostolicam veniant satisfacturi.* Ast proh Deum, hominumque fidem! Quo jure

qua-

quave auctoritate Gregorius quintus Robertum Galliarum Regem, qui civilibus Theodosii, aliorumque Regum legibus consanguineorum matrimonia vetantibus solutum se voluit, anathemate perculit, nisi consanguineam uxorem dimitteret, atque repudiaret? Quaenam naturae, Deique lex in hujusmodi celebrandis nuptiis violata a Roberto fuit? Non ita sane Gregorio quarto res bene cessit, quem Ludovicum cognomento Bonum anathemate ferire volentem liberioribus hisce Gallicani Episcopi alloquuti sunt verbis. *Nullo modo se velle hujus voluntati succumbere, sed si excommunicaturus veniret, ipse excommunicatus abiret*. Sic quoque constanter, ac libere cum Nicolao primo Gallicani se gesserunt Episcopi, qui cum Lotarium Regem, qui dimissa Thietberga Waldradam uxorem duxerat, anathemate vellet percutere, tale ab iis responsum accepit. *Nos cum fratribus, et collegiis nostris neque edictis tuis stamus, neque vocem tuam agnoscimus, neque tuas bullas, tonitruaque timemus*.

Jam vero ad perscrutandam, dispiciendamque canonum vim, rationemque veniamus. Tria in primo canone animadvertenda referuntur. Primo factum Roberti, qui consanguineam suam Odonis comitis filiam in uxorem duxerat, indicatur. Deinde Robertum non contra canones, sed contra leges (Theodosii nempe, et Caroli Magni, qui et hujusmodi conjugia prohibuerant) peccasse dicitur. Praeterea Roberto, et Bertae admissi criminis poena indicitur, anathema vero nisi Bertae nuncium remittat Robertus, quod sane factum ab eo fuit. Quoniam vero hujusmodi dissolutio matrimonii a Grego-

rio,

rio, et Concilio decernitur ob eam unice cauſam, quia contra Theodoſii, et Caroli Magni leges initum fuerat, *ut rex Robertus conſanguineam ſuam Bectam, quam contra LEGES duxerat, derelinquat*, facile intelligitur, a Gregorio, atque Concilio regiam in matrimonium poteſtatem agnitam, atque retentam fuiſſe. Cum autem unumquodque peccatum ſua maneat poena, ea Pontifici, qui adverſus leges Robertum peccaſſe exiſtimavit, poteſtati aſſeritur, *et ſeptem annorum poenitentiam agat*. Sic igitur ex Gregorio quinto, Romanoque, cui praefuit Concilio regiae poteſtatis legibus matrimonii diſſolutio, eccleſiaſticae vero poteſtati poena in ſontes decernenda attribuitur. Uterque forus ſuos habet fines, quibus ſuam exerceat juriſdictionem. Ex quibus omnibus optime perſpicitur, Gregorium quintum, romanumque Concilium non canonum vi, ſed civilium auctoritate legum propoſita, quibus parendum duxit Robertus, laudatam matrimonii conventionem reſcidit.

Quod ad ſecundum canonem attinet, conſiderandum videtur, quanto fuerint Romanum penes Pontificem Imperatorum leges in pretio, quandoquidem Gregorius graviſſimas ab Archiepiſcopo Turonenſi hujuſmodi matrimonii conſecratore, aliiſque Epiſcopis conſentientibus poenas exegit.

Quae cum ita ſe habeant, qui fieri poteſt, ut ex hoc facto ſacerdotium in iis, quae ad connubiales cauſas attinent civilem auctoritate praeſtare poteſtatem inferatur, ſi Gregorius, romanumque Concilium civilibus duntaxat propoſitis legibus, quibus conſanguineorum nuptiae vetantur, Roberti vel lubentis conjugium diſſociavit, atque diremit? Quod autem ad Caroli Magni

gni cum Desiderata, non cum Berta conjugium spectat, de quo in tot, tantasque abiere sententias non infimi subsellii viri, etiamsi daretur, Episcopos Carolum exorasse, ut impotentiae vitio laborantem uxorem dimitteret, nullum tamen inde personati Episcopi commentis pondus accederet. Matrimonium namque, ubi ex conjugibus alter nullam creandis liberis operam dare valet, irritum naturae legibus declarari in confessum venit. Ex eone igitur sacerdotalem in connubialibus causis prae civili eminere potestatem dicendum erit, quia Galliarum Episcopi naturales leges illas, quibus matrimonium illud irritum reddebatur, Imperatori observandas, venerandasque proposuerunt? O rem in omni memoria penitus inauditam Hinc Carolum Magnum, quem in suis constituendis decretis ad matrimonium pertinentibus nil aliud sibi voluisse dictitat, quam ut ea, quae Pontifex Gregorius jam praecepisset, unice constitueret, *quia sic Gregorius sensit*, eumque insuper connubiales causas ecclesiastico permisisse judicio: ***juxta constitutiones SS. Patrum, et juxta decreta canonum judicentur***, hinc Carolum Calvum, qui pistensi edicto cavit, ne Franci cum Nortmannis conjugio jungerentur, quia a Leone, atque Gregorio hujusmodi matrimonia vetabantur, hinc Ludovicum XIII. memorat, qui gallicano rogante clero rescripsit, edictum illud, quo contracta invitis, atque inscientibus Parentibus filiorumfamilias conjugia irrita declarabantur, ad civilem nuptiarum conventionem, non ad Sacramentum pertinere, et connubiales causas ex Sacrorum praescripto canonum esse judicandas; ex quibus sane factis ecclesiasticam in nuptialibus causis potestatem

tem civili ipſa jurisdictione praeſtantiorem vel ipſos Principes, Regeſque agnoviſſe concludit. Verum ut a Caroli Magni conſtitutionibus exordiamur, duo objicit perſonatus noſter Epiſcopus, primo, quod Carolus illa decreta, et quidem omnia, quae in quinto, et ſexto ſuorum capitularium extant libro ad Gregorianae ſanctionis normam exegerit, *quia ſic Gregorius ſenſit*, iterum quod cauſae connubiales ad eccleſiaſticos judices vel ipſo fatente Imperatore pertineant *de reliquis vero propinquis juxta conſtituta ſanctorum Patrum, et juxta decreta canonum judicetur*. Quantum autem veritas homini curae fuerit, ex ipſis decretis, quae in quinto, et ſexto capitularium libro ſcripta leguntur, penitus inſpiciamus.

Num. V. *Si quis filiaſtrum, aut filiaſtram ſuam ante Epiſcopum ad confirmationem tenuerit ſeparetur ab uxore ſua, et alter non accipiat, ſimiliter et mulier alterum non accipiat. Gregorius ſenſit.*

Num. VI. *Qui propter faidam fugiunt in alias patrias, et admittunt uxores ſuas, nec ille vir, nec illa foemina accipiat alterum conjugium. Gregorius ſenſit.*

Num. XVI. *Mulier ſi ſine comiatu viri ſui velum in caput ſuum miſerit, ſi viro ſuo placet, recipiat eam iterum in conjugium.*

Num. XVII. *Si quis homo filiaſtram ſuam contra voluntatem ipſius, et matris, et parentum dederit viro ingenuo, aut eccleſiaſtico, vel ſervo, et illa noluerit habere ipſum, et reliquerit eum, poteſtatem habeant parentes illius dare illi alium maritum, et ſi jam maritum habet, non ſeparetur.*

Num.

Num. XVIII. *Si ingenua foemina accipit servum, sciens, quod servus esset, habeat eum: una enim lex erit et viro, et foeminae.*

Num. XIX. *Si quis homo habens mulierem legitimam, si frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater, vel illa foemina, qui adulterium perpetraverunt, interim quod vivunt, nunquam habeant amplius conjugium: ille vero, cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet uxorem accipere aliam.*

Num. C. *Nullus igitur proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium, vel filiam ad confirmationem tenuerit, ubi autem factum fuerit, separentur.*

Num. CI. *Si quis viduam uxorem duxerit, et postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, seu cum patre, et filio tales copulationes anathematizari, nec unquam amplius conjugio sub magna districtione copulari.*

Num. CIX. *Contradicimus, quoque, ut in quarta, vel quinta generatione nullus amplius conjugio copuletur: ubi prius interdictum factum inventum fuerit, separetur.*

Num. CXLIX. *Quicumque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam habeat poenitentiam; et si contumax fuerit, comprehendatur a comite, et ferro vinciatur, et in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.*

Num. CLVIII. *Nuptias prohibemus incestas idest usque adfinitatis lineam, vel quamdiù inter se hereditare potuerint, non conjungantur, quia haec potius incestiva, quam conjugia sunt judicanda.*

Ex libro VI. Capitularium Num. CXXIII. *Christiani ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum connubia non ducant, neque sine benedictione Sacerdotis, qui ante innupti erant, nubere audeant.*

Num. CCVI. *In quarta propinquitate carnis, quinta, sextaque, non licet nubere, sicut scriptum est: omnis homo ad propinquum sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus, idest usque ad Septimum gradum Legitimum conjugium non licet separari sine consensu amborum: ita tamen, ut ambo serviant innupti; potest autem alter alteri licentiam dare, accedere ad servitutem Dei, si ipse tamen innuptus, vel innupta permanserit.*

Num CCCVII. *Quod incesti non sint legitimi haeredes, sed infamia sint notatae utraeque personae.*

Num. CCCXVI. *Sciendum est omnibus, quod conjunctio spiritalis commatris maximum peccatum sit, et divortio separandum, atque capitali sententia mulctandum, vel perpetua peregrinatione delendum.* Quisquis etiam, me silente, optime animadvertit, clausulam illam *quia*, ex qua omnis loquentis voluntas, ac mens exprimitur, atque declaratur ex personati Episcopi penu, ut ita dicam, ac fundo sumptam, atque additam fuisse, deinde non in omnibus, quemadmodum ipse garrit, sed in duabus dumtaxat decretis, quae in quinto, et sexto capitularium libro continentur, mentionem de Gregorio fieri. Quod si in quinto capitularium libro ait Carolus; *De reliquis vero propinquis juxta constituta sanctorum Patrum, et juxta decreta canonum judicetur*, id non de dirimentibus matrimonium legibus, ci-

civilibusque nuptialis pactionis causis, sed de spiritualibus poenis, quibus in connubialium hujusmodi legum, et Sacramenti matrimonii violatores animadvertitur, intelligendum est. Quare semel, iterum, et tertio in eam, quae cuique scriptori cordi debet esse, veritatem atque integritatem peccat personatus Episcopus; semel dum in duabus illis superioribus decretis clausula illa *quia*, de suo addita, atque illata est; iterum, quia verbum illud *Gregorius sensit*, in omnibus aliis, quae in quinto, et sexto capitularium libro extant, omnino desideratur; tertio, quia Carolus Magnus verba illa, *de aliis proprinquis juxta constitutiones sanctorum Patrum, et juxta decreta canonum judicetur* non ad dirimentia matrimonium impedimenta sanciendi potestatem, neque ad connubiales illas, quae ex civili pactione oriuntur, causas, sed ad spirituales poenas spectant, quas ecclesiastici judices in eos homines, qui civiles nuptialia pacta moderantes leges violant, decernunt.

Enimvero ad Carolum calvum, qui pistensi edicto haec habuit, veniamus. *Si autem*, inquit ille, *de istis partibus in illis partibus foemina maritum, aut maritus foeminam accepit, illud conjugium, quia non est legale, neque legitimum, sicut Leo in suis decretis, et sanctus Gregorius in suis epistolis monstrant, dissolvatur.* Ex quo sane edicto, ut superius innuimus, arguit personatus Episcopus, Principes, Regesque ecclesiasticam in iis, quae ad matrimonium, et nuptiales causas attinent, semper agnovisse, atque observasse potestatem, proindeque civile Imperium in ejusmodi causis sacerdotio concedere. Sed edictum inspiciamus, atque scrutemur. Illud

igitur eo spectat, ut matrimonia Francos inter, et Nortmannos, qui christianam nondum susceperant religionem, inita dissolvantur. Hoc dirimentis impedimenti genus ad cultus disparitatem pertinet. Dirimitur illud conjugium, ut ex verbis edicti patet, *quia non est legale, neque legitimum*. Sicut igitur conjugium dicitur legale, ac legitimum, quod secundum leges a Principe latas contrahitur, ergo et conjugium dicitur neque legale, neque legitimum, quod iisdem reluctantibus legibus celebratur. Quae quidem leges eae certe erant quae a superioribus Imperatoribus latae fuerant. Leo igitur, atque Gregorius, ubi hujusmodi *non legale, atque legitimum monstrarunt* connubium, illud certe ab Imperatorum legibus abhorrere significarunt, quemadmodum reapse ex illorum epistolis apertissimè colligitur. Ergo Carolus Calvus hujusmodi connubia utpote quae romanis legibus contraria existimarunt Leo, et Gregorus, sustulit, atque dissolvit. Non igitur ut perperam de more personatus Episcopus argumentatur talia matrimonia diremit, quia illa veluti illegitima prohibuissent Leo, atque Gregorius, sed quia civilibus legibus institutisque adversabantur, sicut Leo, et Gregorius demonstraverant. At si verum amamus, ex pistensi edicto civilis potius, quam ecclesiastica in matrimonium potestas eminet, atque apparet. Et sane hinc ecclesiastica potestas, Leo nempe, et Gregorius connubialem conventionem certas inter personas contractam *non legalem, nec legitimam* monstrant, hinc civilis potestas Carolus scilicet connubialem ipsam conventionem Nortmannos inter et Francos vel initam tollit, et dirimis, et sicuti magis est conventionem dirimere,



rimere, quam vel non *legalem neque legitimum* monstrare, ergo vel ipso pistensi edicto civilis in matrimonium potestas pro ecclesiastica magis, magisque elucet, atque confirmatur. Quid vero? etiamsi in ejusmodi dissolvendis matrimoniis Pontificum decreta secutus fuisset Imperator nunquid argumentum ex eo ducere liceret, quod civilis potestas ecclesiasticae in connubialibus rebus jurisdictioni concedere deberet, cum Principes, Regesque in suis condendis legibus sacros imitari canones non dedignentur eo prorsus modo, quo et ipsi canones è civilibus sibi fulcra, atque adminicula legibus adsciscere non dubitant ex notissima communique omnium suffragio recepta Lucii tertii sententia, *sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur*.

Quod autem ad Ludovicum XIII. attinet, qui parisiensi rogante clero respondit, verba illa edicti, quibus filiorumfamilias matrimonia in consultis parentibus contracta irrita declarabantur, *non esse aliter explicanda, quam per solam relationem ad contractum civilem per laicos judices, nec adstringi ecclesiasticos ad judicandum secundum hujus edicti simulque Blesensis articulos sed juxta sacros canones, et ecclesiastica decreta, quae sunt unica regula, et norma judicii ecclesiasticorum*, nostrae mirifice sententiae suffragatur. Nam et ipsi lubenti fatemur animo, et saepe monuimus, dirimentia matrimonium impedimenta ad illud, prout civilis conventio non quatenus Sacramentum est, unice referri, et civiles magistratus de nuptiali ipsa conventione, non de Sacramento matrimonii, quod ad ecclesiasticos judi-

ces spectat, cognoscere. Et requidem vera nonne aliquot post annos, quam Rex ipse roganti clero respondit matrimonium illud, quod Aurelianensis Dux Gasto inscio, et invito eodem Ludovico fratre cum Margaretha Lotharinga celebravit, sustulit, atque diremit senatus parisiensis? Nonne contractas a foemina quadam nomine Maria invitis parentibus nuptias doctissimo causam orante Bignonio, senatus ipse damnavit, atque infirmavit? Nonne initum inter Josephum Pichon, et Joannam Pollart conjugium parisiensis curia infectum reddidit ob eam unice rationem, quia nullus inauspicatis hisce Nuptij parentum consensus accessisset? Nonne conjunctum inter Claudium Hordy, et Mariam Perneau inconsultis curatoribus matrimonium supremus galliarum magistratus dissolvit, atque rescidit? Adeo verum est, ut responsum illud, quod gallicanus clerus a Ludovico tertio expressit quin vel nostrae tantillum officiat sententiae incredibilem illi auctoritatem fidemque conciliet. Sed jam ad incitas agitur personatus Episcopus jam vel ipse fatetur eam Principibus, Regibusque potestatem adesse, ut civilem nuptiarum pactionem qua universa reipublicae, et civium salus continetur, latis legibus moderentur, et regant, sed id unum instat, et urget, quod cum sempiterna christianorum salus, caduco, fragilique civium bono anteponenda sit, ita quoque ecclesiastica, quae sempiternae christianorum saluti excubat, potestas anteferenda sit illi, quam Principes habent in matrimonium auctoritati, ex quo tot ac tanta spiritualia in christianos bona proficiscuntur. Quam dulce est Episcopo nostro cavillari, atque jocari! matrimonium namque, uti saepe

mo-

monuimus, qua civilis conventio, et prout Sacramentum est, consideratur. Qua civilis conventio est, plurima civili reipublicae commoda, atque emolumenta importat, et civilibus Principum legibus omnino subjicitur, qua Sacramentum est, aeternam christianorum beatitudinem promovet, et ecclesiastico pendet judicio. Principes de civili matrimonii pacto, iisque omnibus, quae ad illud pertinent, judicant, Ecclesia vero, atque Pontifices de matrimonio, quatenus Sacramentum est, iisque, quae ad ipsum spectant, decernunt; sic igitur suas Principes, suas Ecclesia, atque Episcopi in matrimonio partes diversas tamen, atque distinctas habent. Quem quidem ordinem divinitus praestitutum quicumque miscet, atque confundit, Deo ipsi, Principibus, atque Ecclesiae injuriam adfert sane maximam. Et haec adversus acerbissimum Pergensis Episcopi, ac Caesareae Majestatis obtrectatorem dicta sint satis.





CAP. XII.

In quo omnia illa, quibus nunc utimur, dirimentia matrimonium impedimenta jam tum ab Imperatoribus, ac Principibus instituta esse demonstratur.

JAm vero celeberrimam illam testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, nunciam vetustatis consulamus historiam, primamque praecipuarum quibus nunc utimur, dirimentium matrimonia legum originem, atque institutionem persequamur. Principiis enim cognitis multo facilius extrema intelligemus. Omissis igitur impedimentis, quae impedientia vocantur, quaeque ad institutum non pertinent ad illa quae dirimentia nuncupantur rudibus hisce contenta versibus, gradum properemus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas
Si sis affinis, si forte coire nequibis
Si Parochi, et duplicis desit praesentia testis
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

I. *ERROR*

I.

E R R O R

Error duplex est, personae, et qualitatis. Error personae in eo vertitur, quod quis ducere putans Cajam, ducit Semproniam, et hujusmodi error jure naturae dirimit matrimonium, idque a civilibus legibus declaratum cum primis fuit. *Errantis nullam esse voluntatem*, *nullum errantis esse consensum* ex codice habetur. (1) *Non consentiunt, qui errant, quid enim tam contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam detegit*, inquit Ulpianus. (2) Error autem qualitatis ex. gr. ut si quis ducat Bertam, quam divitem, et virginem putabat, pauperem invenit, corruptamque detexit, matrimonium non dirimit; hujusmodi namque error cum circa accidentia dumtaxat versetur consensum non tollit, quoniam haec vel adesse, vel abesse possunt salvo matrimonio. Advertendum tamen est, quod dupliciter error circa qualitatem in errorem personae transit, et matrimonium vitiat, vel quando scilicet quis putans cum Regis filia matrimonium contrahere, illud cum filia privati civis ineat, vel ubi personae qualitas expressa conditione circumscribatur, ex. gr. *contraho tecum, si dives, aut nobilis es, alias non contraho*. Si enim conditio falsa est, matrimonium omnino dirimitur, quemadmodum civilibus legibus cavetur.

II. CONDITIO

(1) L. 8., et 9. Cod. de jur. et fact. ignor.

(2) L. 15. ff. de jurisdict. L. 2. in princ. ff. de jud. L. nihil consensui 116. in fin. ff. de R. I.

II.

CONDITIO

Conditio prae se statum servitutis fert. Servi propria illorum natura inspecta ii sunt, quorum possessor eos vendere potest, qui vere dicuntur *mancipia*, quod certe nomen ductum videtur a verbo *manceps*, quo significatur is, qui proprio jure quid possidet, habetque in manu, idest potestate propria, dictus quasi *manucupes* a *manus*, *et capio*. Veteres enim manu capiebant ea, quorum nancisci dominium volebant. Alii vocantur servi *adscriptitii*, qui suas domino ad aliquid praestandum operas locant, de illis, non autem de his sermo in praesentia nobis est. Conditio dupliciter matrimonium dirimit, vel quando servus inconsulto, atque invito domino nuptias contrahit, vel ubi quis ignorata servitutis conditione matrimonium inivit. Utrumque conditionis genus, et dirimens matrimonium impedimentum a civilibus inductum legibus fuit. Quod ad primum sic Paulus Jurisconsultus (1) scribit. *Inter, servos, et liberos matrimonium contrahi non potest, contubernium potest*. Matrimonium igitur est inter liberos, contubernium inter servos. *contubernales*, ait Festus, *dicuntur a tabernis, quae fiebant ex tabulis, unde et tabernacula dicta sunt, licet et tentoria ex pellibus fiant*. Cum autem pleraque olim solis constarent aedificia tabulis, inde tabernae nuncupatae fuere, que omne utile ad habitandum aedificium significant.

(1) Lib. sentent. tit. 19. depos. L. 3. Cod. de inc. et §. 6. L. Lucius n. 7. ff. inut. Nupt.

ficant. (1) A tabernis tabernacula, et contubernales, qui nempe simul habitant, dicti sunt, quare servi solo contubernio, eodem scilicet tabernaculo utuntur, eodemque vitam exigunt tecto, neque ullo matrimonii jure potiuntur. Error etiam in conditione servili ex ipsa civilium legum institutione irritum facit matrimonium; veluti si quis putat uxorem ducere liberam, et ducat ancillam, quemadmodum ex Justiniani novella habetur. (2) *Si vero ab initio putaverit aliquis liberae jungi personae, illa vero famula postea declaretur existens, non dicimus solvi matrimonium, sed ab ipso initio neque matrimonium fieri secundum prius a nobis dictam causam propter inaequalitatem fortunae. Unde neque lucrum ex matrimonio esse, neque aliud tale sed puram rerum competentium per congruas actiones redditionem. Haec autem decernimus, et tale non esse dicimus matrimonium, si causam animus incertus disponat solum, neque consensu domini, neque malignitate ejus aliqua, neque negligentia convicta.* Ex quibus omnibus satis aperte liquet, impedimentum conditionis civilibus constitutum fuisse legibus, quas certe tunc temporis ad unguem servabant concilia, quemadmodum ceteris missis, ex concilio apud Vermeriam habito, cui interfuit Pipinus, optime deprehenditur. *Si quis ingenuis homo uxorem alterius acceperit, et existimat quod ingenua sit... Si voluerit, aliam accipiat.... Similiter, et mulier ingenua de servo alterius facere debet.*

III. *VOTUM*

(1) L. tabernae 183. ff. de verb. sign. cap. X. in Authent. coll. 4. tit. 1.
(2) Novell. 22. de nupt.

III.

VOTUM

CAstitatis votum duplex est simplex, et solemne. Illud impedit, quominus matrimonium contrahatur, sed contractum non dirimit, hoc vero matrimonium contrahendum impedit, solvitque contractum. Primis Ecclesiae temporibus votum illud, quo sanctimoniales, et Monachi obligabantur, nullam dirimendi matrimonii vim habebat. Id ex Innocentio I. qui ineunte saeculo quinto Ecclesiae praefuit, apprime colligitur, dum sanctimoniales illas, quae ad nuptias properarent, publicae solum poenitentiae addicit cum is, cui illae nupserant, decessisset. *Quae Christo spiritualiter nupserunt*, inquit ille, (1) *velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam poenitentiam, nisi is, cui se junxerant, de saeculo recesserit*. Leo magnus ad Rusticum Narbonensem scribens (2) decernit, ut monachi, qui matrimonium contrahunt, publica poenitentia damnentur, quin ullum de matrimonii dissolutione verbum faciat: *Qui relicta singularitatis professione ad militiam, vel ad nuptias devolutus est, publicae poenitentiae satisfactione purgandus est, quia etsi innocens sit militia, et honestum potest esse conjugium, electionem tamen meliorem deseruisse, transgressa est* sic quoque Chalcedonense concilium sanctimonialibus, et monachis, qui conjugio copulabantur, non

(1) Epist. 2. decr. ad Victricium Rothomagensem c. 12.

(2) Epist. 8.

non conjugii dissolutionem, sed poenitentiam indixit: *si qua virgo se dedicavit Deo, similiter monachis, non licere eis jungi nuptiis: si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati: statuimus vero posse in eis facere humanitatem, si ita probaverit loci Episcopus.*

Sic D. Augustini temporibus extiterunt, qui nuptias virginum, quae Deo castitatem vovissent, non conjugia, sed adulteria nuncupanda dixerunt, hisce dissensit Augustinus in eo, quem de bono viduitatis inscripsit libro. (1) *Proinde,* inquit, *qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur acute, ac diligenter considerare quid dicant... Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito foeminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut a maritis separentur uxores, et cum volunt eas separatas reddere continentiae, faciunt maritos earum adulteros viros, cum suis uxoribus vivis adulteras duxerint. Quapropter non possum quidem dicere a proposito meliore lapsas, si nupserint, foeminas, adulteria esse, non conjugia; sed plane non dubitaverim dicere, lapsus et ruinas a castitate sanctiore, quae vovetur Deo, adulteriis pejores esse.*

Sexto circiter vertente saeculo hujusmodi vota contracta a sanctimonialibus, et monachis matrimonia dirimere coeperunt, quod sane ab Imperatore Justiniano novella quarta cautum legimus, ubi haec habentur. *Si quis rapuerit, vel sollicitaverit, vel corruperit ascetriam, vel Diaconissam, vel monacham, vel aliam mulierem religiosam vitam, vel habitum habentem, capitali peri-*

(1) Cap. X., et XI.

periculo subjiciatur. Mulier autem ubique investigetur, et cum suis rebus monasterio cautiori tradatur. Justinianeae hujusmodi legis rationem habens Turonense concilium, quod an. 567. coactum fuit, haec statuit. *Nos ergo hoc sequentes, quod vel Apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit, in canonibus nostris inserentes statuamus observandum, ut nullus sacratam Deo virginem, quae in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere, aut competere, aut sibi conjugem sociare praesumat; QUIA ETIAM LEX ROMANA CONSTITUIT, ut quicumque sacratam Deo virginem, vel viduam fortasse rapuerint, si postea eis de conjunctione convenerit, capitis sententia feriantur. Item si quis, non dicam rapere, sed attrectare, matrimonii jungendi causa, sacram virginem ausus fuerit, capitis sententia feriatur.* Hinc patet votum illud, quod sanctimoniales, et monachi emittunt, sola Justiniani lege matrimonium dirimere, cum illud ex se, suaque natura inspecta, matrimonium irritum facere nequeat. Principes namque, ac Reges, quorum unice est, ad humana quaeque contrahenda pacta inhabiles cives reddere, lata lege caverunt, ut qui, quaeque suam in monasteriis castitatem Deo vovissent, ad ineundas nuptias non apti efficerentur. Eamdem simplex, ac solemne votum vim habet, cum hujusmodi discrimen a Gratiano, atque Bonifacio VIII. invectum constet. Maneat igitur, votum illud, quo matrimonium dirimitur, suum ab justinianeis legibus duxisse principium.

IV. *COGNATIO*

IV.

COGNATIO

Cognatio eſt *neceſſitudo inter eos, qui ſunt ex eodem ſanguine, vel perinde ut ſanguine* (1) Triplex cognatio eſt, *naturalis*, *civilis*, ſeu legalis, *et ſpiritualis*. Cognatio naturalis definitur *propinquitas, ſeu vinculum perſonarum per ſanguinem ab eadem perſona deſcendentium*.

De cognatione quaeri opportune poteſt, qua ratione graduum deſcriptio, ac dinumeratio fiat, quo jure cognatio matrimonium dirimat. Ad primum quod attinet tria conſiderantur in cognatione, ſtipes, gradus, linea; ſtipes eſt *perſona, a qua deſcendunt omnes illi, de quorum cognatione quaeritur*. Gradus eſt *tranſitus de proximo cognato in proximum cognatum*, et quot ſunt generationes tot ſunt gradus. Linea eſt *collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium continens gradus, et diſtinguens cognationes*. Duplex eſt linea, recta, et tranſverſa ſive obliqua, ſive collateralis. Recta lihea continet eos, qui vel nos crearunt, vel a nobis creati ſunt, quae ſane in ſuperiorem, et in inferiorem dividitur. In ſuperiori continentur adſcendentes, videlicet pater, mater, avus, avia, proavus, proavia, abavus, abavia, tritavus, tritavia. Ceteri qui ſuperius ſunt, majores vocantur. In recta inferiori ſunt deſcendentes, ideſt filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, abnepos, abneptis, trinepos, trineptis, qui infra hos ſunt.

(1) Cujac. in parat. ad tit. ff. de grad. et in comment. ad eumd. tit.

ſunt poſteri appellantur. Tranſverſa linea eos complectitur, qui neque nos procrearunt, neque a nobis procreati ſunt, ſed eamdem nobiſcum ſtirpem communicarunt, quorum alii per maſculos, et dicuntur agnati, alii vero per foeminas, et dicuntur cognati nobis junguntur.

Tranſverſa linea duplex eſt, aequalis, et inaequalis. Aequalis eſt eorum, qui pari gradu a communi ſtipite diſtant, ut duo fratres, et ſorores, conſobrini, et ſobrini, qui a patre, ab avo, et proavo aequaliter diſtant. Inaequalis eſt eorum, qui inaequaliter a communi ſtipite distant, ut patruus, et fratris filius, cum ille communi ſtipiti proximior, hic remotior ſit.

Quibus ita perſpectis, jam de graduum dinumeratione breviter diſſerendum. In linea recta haec ab jure civili gradus computandi traditur regula. *Tot ſunt gradus, quot generationes ſtipite dempto*. Hinc ſit, ut pater, et filius ſint in primo gradu avus, et nepos in ſecundo, et ſic deinceps. In linea tranſverſa jure civili cavetur, ut *tot ſint gradus, quot perſonae ab utroque latere, ſtipite dempto*: duo igitur fratres in ſecundo cognationis gradu ſunt et ſic deinceps. Expeditiſſimam hanc facillimamque gradus numerandi rationem diu multumque retinuit Eccleſia eamque ſequtus eſt divus Ambroſius. (1) Cum enim ipſe de contrahendo inter conſobrinum germanum, et conſobrinam germanam conjugio conſultus fuiſſet, quartogradu inter ſe eos diſtare reſpondit, quod ſane ab juro civili ſancitur; cum ex jure canonico ſecundo gradu conſobrini diſtent. Quin imo et nunc temporis, civiles in gradibus enumerandis leges Graecorum Eccle-

(1) Epiſt. 66.

Ecclesiam servare testatur Lupus. Verum decretales illae ab Isidoro epistolae confictae tristissimae stetere causae, cur Pontifices, et praecipue Alexander II. a sapientissimo civilis graduum computationis instituto defecerit. Ipse namque ubi diversam, distinctamque ab ea, quam tradit jus civile, gradus dinumerandi rationem invexit subdititia Gregorii Magni epistola, de qua superius disputavimus, potissimum nititur, dum sic ad clericos neapolitanos scribit. *Item*, inquit ille, (1) *beatus quoque Gregorius dum super Anglorum conjugiis scriberet, haec fere verba deprompsit. Quaedam lex in Romana Republica praecepit, ut duorum fratrum, vel sororum filius, vel filia in conjugio copularentur. Sed omnino cognoscitur ex hoc conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est, ut jam quarta, vel quinta invicem generationes copulentur. In quibus nimirum verbis luce clarius patet, quia dum doctor insignis duorum fratrum soboles probibet in matrimonio jungi, in quarta vero generatione permittit neophitos copulari: nequaquam, ut cultores perversi dogmatis astruunt, generatio quarta in duorum fratrum filiis valet inveniri.*

Altera vero ratio, qua diversam a civili computatione regulam induxit Alexander, quia nempe jure civili numerantur gradus non matrimonii, sed haereditatum ab intestato, tutelarum, et bonorum possessionum causa, inanis omnino, ac falsa mihi videtur. Ut quid enim Ulpianus (2), ut quid beatus Ambrosius, ut quid latina olim Ecclesia et pluribus quidem saeculis computationem juris civilis delicitis, illicitisque nuptiis agentem

H sequuti

(1) Epist. 27.

(2) Ex collat leg. Mos. et Rom. tit. 5. §. 6.

ſequuti ſunt. Utquid civiles in eo, quod ad matrimonium, pertinet leges etiam nunc Graeca conſervat Eccleſia? Verum ſi ratio, qua ab hujuſmodi civili graduum computatione deſcivit Alexander futilis, ac falſa eſt, ea, qua ad prohibenda intra quartum gradum conſanguineorum matrimonia adductum ſe tradit Innocentius III., belliſſima omnino cenſenda eſt. Ipſe igitur cum antiqua hac in re inſtituta, legeſque vellet corrigere, intra quartum gradum ſimul conſanguineorum nuptias vetuit potiſſimum cauſatus quia *quatuor ſunt humores in corpore humano qui conſtant ex quatuor elementis*. (1) O inane, abſurdumque commentum non ex puris, integriſque philoſophiae fontibus, ſed ex lutulentis, turbidiſque ſcolaſticae lacunis hauſtum, atque expreſsum! Non minus enim inſulſe ad quatuor humores, quam ad quatuor Evangeliſtas, quatuor coeli cardines, quatuor ventos, et quatuor rotas plauſtri, aliumve quaternarium numerum provocari poſse quis eſt, qui non videat? Sed tricis hiſce, apiniſque relictis, miſsoque libenter illo, quod apud Theologos canonicique juris interpretes paſsim occurrit, civilium, eccleſiaſticarumque in graduum numeratione legum diſcrimine, ad majora veniamus, inſpiciamuſque, quo jure cognatio matrimonium dirimat, ut inde regia in matrimonium poteſtas magis, magiſque deprehendatur, atque confirmetur. Matrimonium igitur in linea recta jure naturali prohibetur, atque dirimitur. Scio fore pleroſque, qui matrimonia inter parentes, eoſve, qui parentum loco ſunt, et filios, et deſcendentes nullo naturae jure prohiberi, ac dirimi contendunt, aſt qui in contrariam abeunt ſen-

(1) C. 8. x. de conſang. et affinit.

sententiam, viri sapientissimi, eorumque argumenta majori apud me auctoritate valent. Et requidem vera si pater filiam uxorem duceret, et ex ea filium susciperet, is esset patris sui nepos, et filius; matris filius, et frater. Item si filius cum matre nuptias iniret, eorum filii, et filiae essent patris sui fratres, et sorores; matris vero filii, et nepotes. Neque solum nomina, sed et jura confunderentur, ut optime cecinit Ovidius (1) *Nec quot confundas et jura, et nomina sentis?* Alia namque sunt jura, atque officia, quae inter patrem, et filiam, inter filium, et matrem, alia quae maritum inter et uxorem cedunt. Merito igitur hujusmodi nuptias universae detestatae sunt gentes easque veteres Romanorum leges incestum juris gentium esse sanxerunt. (2) Quod autem ad nuptias fratrum atque sororum attinet, non naturali, sed civili duntaxat jure vetitae illae sunt. Profecto naturalis illa ratio, quae matrimonium parentes inter et liberos jure naturae prohibet, nullum sibi fratrem inter, et sororem locum vindicat, neque unus alteri illud exhibere cogitur obsequium, quo filia patrem, filius matrem prosequi debet. Neque ullum nobis negocium facessit, quod Pomponius ait: (3) *Libertinus libertinam matrem, aut sororem uxorem ducere non potest, quia hoc jus moribus* (nempe jure gentium) *non legibus introductum est*, ea namque verba *aut sororem* adjecta a Triboniano fuisse putat Cujacius (4), Noodtius ve-

(1) Metamorph. lib. 10. v. 346.

(2) L. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult. L. 34., et L. ult. ff. de rit. nupt.

(3) L. libertinus 8. ff. de rit. nupt.

(4) Obs. lib. 16. cap. 37.

ro (1) delenda esse arbitratur. Quod autem nuptiae inter fratres, atque sorores nullo naturae jure vetitae sint ex ipsis sacris literis apertissime colligitur. Thamar namque Amoni fratri suo, qui vitium illi offerre volebat, respondit; (5) *Noli frater opprimere me, noli facere stultitiam hanc; quin potius loquere ad Regem, et non negabit me tibi*. Quidquod vel ab ipso mundi primordio fratres reapse sorores sibi matrimonio jungebant? Quidquod Athenienses (1) Lacedemonii. (2) atque Aegiptii (3) legitimum cum sororibus conjugium inibant. Bene, quidem ac sapienter civili jure hujusmodi prohibitae sunt nuptiae, ut civium amicitiae, ac necessitudines in diversas cognationes diffunderentur. Luculentissima extat in digestorum libro lex, quae sic se habet (1) *serviles quoque cognationes in hoc jure observandae sunt. Igitur suam matrem manumissus non ducat uxorem, tantundem juris est in sorore, et sororis filia*. Sic quoque lata lege Justinianus cavit; (2) *Inter eas personas, quae ex transverso gradu cognationis junguntur est quaedam similis observantia, sed non tanta. Sane enim inter fratrem, sororemque nuptiae prohibitae sunt, sive ab eodem patre eademque matre nati fuerint, sive ab alterutro eorum*. Quod autem ad eos attinet qui parentum, vel liberorum loco sunt, hi legitimis olim matrimoniis copulabantur. Sic Cissa maternus

(1) Ad tit. ff de rit. Nupt. §. tantum de cognat.
(2) 11. Reg. 13.
(3) Corn. Nep. in Cim. Plutarch. in Themist.
(4) Phil. de specialib. leg. p. 779.
(5) Phil. d. l. Deodor. bibl. lib. 1. cap. 27.
(6) L. adoptivus 14. §. serviles si ff. de rit. nupt.
(7) §. inter eas I. de nup.

ternus avus Iphidamantis Antenoridae, huic Theano filiam suam, ipsius Iphidamantis materteram connubio junxit. (1) Sic Alcinous Phaeacum Rex fratris sui filiam Aretam uxorem duxit. (2) Sic Electram Castori ejus avunculo nupsisse tradit Euripides (3). Sic Lysias Atheniensis cum fratris filia nuptias inivit. (4) Sic spartanum Anaxandridem sororis filiam uxorem habuisse testatur Herodotus. (5) Vetustissimos penes Romanos positum in more fuit, ut ejusmodi inter eos, qui parentum, liberorumve loco sunt, conjugia haberentur incesta. (6) Primus, qui omnem connubiis hisce dedit operam, fuit Claudius Imperator, qui cum impotenti Germanici fratris sui filiae Agrippinae arderet amore, subornavit in senatu, inquit Svetonius (7) qui talium conjugiorum veniam dandam censerent, cum ad id tempus, idem pergit historicus, incesta ea matrimonia habita fuissent, nec ulli excepto centurione reperti sunt, qui tale sequerentur exemplum. Hujusmodi vero senatusconsultum Claudii gratia factum, quo caeteris omnibus fratris filiam ducendi data venia est abrogatum ab Imperatore Nerva fuit, qui non solum fratris, sed sororis filiam uxorem accipere vetuit doctissimo teste Gothofredo, (8) cui tamen dissentit Cujacius, qui de sororis tantum filia loquutum fuisse Nervam docet. (9) Verum Diocletianus, et Maximianus fratris, et sororis filiam

 ducere

(1) Homer. Iliad. lib. 11. v. 223.
(2) Homer Odiys. lib. 7. v. 54.
(3) In Electr. v. 9. 12.
(4) Plutarch. in 10. orat. vit.
(5) Lib. 5.
(6) Tacit. annal. lib. 12. Plutarch. in quaest. roman.
(7) In Claud. cap. 26.
(8) Ad L. 1. C. Theod. de inc. nupt.
(9) Observ. lib. 13. c. 16.

ducere tali prohibuerunt edicto (1) *Nemini liceat contrahere matrimonium cum filià nepte, vel pronepte, iterumque cum matre, avia, vel proavia, et ex latere amita, ac matertera, sorore, soris filia, et ex ea nepte, praeterea fratris tui filia, et ex ea nepte.*

Ità quoque Constantius (2) de connubiis hisce cavit. *Si quis filiam fratris, sororisve, faciendam crediderit abominanter uxorem, aut in ejus amplexum, non ut patruus, aut avunculus, convolaverit, capitali sententiae poena teneatur.*

Praeterea Imperator Zeno, non Anastasius; ut nonnulli perperam judicarunt, hasce cum fratris, et sororis filia nuptias prohibuit. (3) *Ab incestis nuptiis universi, qui nostro reguntur imperio noverint temperandum. Nam rescripta quoque omnia, vel pragmaticas formas, aut constitutiones impias, quae quibusdam personis tyrannidis tempore permiserunt scelesto contubernio matrimonii nomen imponere, ut fratris filiam, vel sororis, vel eam, quae cum fratre quondam nuptiali jure habitaverat, uxorem legitimam turpissimo consortio liceret amplecti, aut ut alia hujusmodi committerentur, viribus carere decernimus, ne dissimulatione culpabili nefanda licentia corroborentur.*

Denique Justinianus latas a superioribus Imperatoribus hac de re leges confirmavit. (4) *Fratris vero, vel sororis filiam uxorem ducere non licet, sed nec neptem fratris, vel sororis quis ducere potest, quamvis quarto gradu sint, cujus enim*

(1) L. nemini 17. Cod. de nupt.

(2) L. 1. cod. Theodos de incest. nupt.

(3) L' ultim. Cod. de incest. nupt.

(9) §. Fratris Inst. de nupt.

enim filiam uxorem ducere non licet, neque ejus neptem permittitur.

Ita quoque jure civili prohibetur, nequis sororis proneptem, nec amitam, nec materteram, nec amitam magnam, nec materteram magnam uxorem ducat.

Ad sororis proneptem quod attinet haec in digestis lex extat. (1) *Sororis proneptem non possum ducere uxorem, quoniam parentis ei loco sum, si quis ex his, quas legibus, aut moribus probibemur uxorem ducere, duxerit, incestum dicitur committere.*

Quod autem ad amitam, materteram, et amitam magnam, et materteram magnam spectat sic in digestorum de ritu nuptiarum libro statuitur. (2) *Amitam quoque, et materteram, item magnam quoque amitam, et materteram magnam probibemur uxorem ducere, quamvis magna amita, et matertera magna in quarto gradu sint.*

Justinianus quoque talem hac de re constitutionem edidit (3) *Item amitam licet adoptivam ducere uxorem non licet, item nec materteram, quia parentum loco sunt, qua ratione verum est, magnam quoque amitam, et materteram magnam probiberi uxorem ducere, quamvis magna amita, et matertera magna quarto gradu sint.*

Pergamus vero, et quo jure patruelium, et consobrinorum nuptiae dirimantur, inspiciamus. Haec certe matrimonia permissa olim vel cultiores, politioresque penes gentes fuisse nemini obscurum esse potest. Profecto, ipsa Haebreorum natio, quae divino legislatore regebatur,

(1) L. 39. ff. de rit. nupt.
(2) L. 17. ff. de rit nupt.
(3) §. item amitam I. de nupt.

tur, hujusmodi connubiorum genus frequentavit, Isaacus namque Rebeccam consobrinam suam duxit. (1) Jacobus Rachelem, et Liam avunculi sui Labani filias uxores habuit. (2) Esavus Bosmatham, vel Machulatham sibi matrimonio junxit. (3) Junior Tobias consobrinam suam Saram uxorem accepit (4) quidquod doctissimi viri ipsum Josephum, et Mariam patrueles fuisse ex quibusdam Lucae, et Matthei locis conjecturam faciunt? (5) Sic quoque apud Graecos patruelium, et consobrinorum nuptiae invaluerunt. Nam Aegipti filii Danai patrui sui filias uxores acceperunt. (6) Deucalion consobrinam suam Pirrham duxit, ut ex Ovidio, constat apud quem sic Deucalion Pirrham alloquitur (7)

O soror, o coniux, o foemina sola superstes,
Quam commune mihi genus, et patruelis origo,
Deinde torus junxit.

Sic Hermionem Oresti nupsisse idem Poeta cecinit. (8) Dum illa sic ad Orestem scribit:

Quid quod avus natis idem Pelopejus Atreus
Et, si non esses vir mihi, frater eras,
Vir precor uxori, frater succurre sorori:
Instant officio nomina bina tuo.

Antiquissimo Romanorum jure patruelium, et consobrinorum nuptiae prohibitae erant, uti ex Vitellio patet qui cum incestis fratris filiae nuptiis honestatis speciem adfingere niteretur, coram senatu ait. (9) *Conjugia sobrinarum diu ignorata, tempore addito percrebuisse.* Cujus quidem

(1) Genes. 24. v. 15.
(2) Genes. 28. v. 2.
(3) Genes. 36. v. 3.
(4) Tob. 7.
(5) Luc. III. v. 23. Matth. 1. v. 15.
(6) Hygin. fab. 168.
(7) Lib. 1. Metam. v. 350.
(8) Epist. Heroid. 8.
(9) Tacit. annal. lib. 12.

dem mutationis caufam refert Plutarchus. (1) *Antiquitus*, inquit ille, *fanguine junctas Romani non copulabant fibi in matrimonio, ut ne nunc quidem materteras, aut forores: fero conceffum fuit, ut ducere confobrinas liceret, idque ex tali occafione. Vir quidam pecunia indigens, alioqui honeftus, et prae ceteris vulgo civium gratus, confobrinam in matrimonio habere, et ex ea locupletatus credebatur. Cum autem hac de re accufatus effet, populus remiffa caufae cognitione illum abfolvit: decreto facto, UT OMNIBUS LICERET DUCERE AGNATAS, USQUE AD CONSOBRINAS, SUPERIORES AUTEM GRADUS PROHIBERENTUR.*

Hoc plebifcito facto, patruelium, et confobrinorum matrimonia vere percrebuerunt. Iam anno ab urbe condita 579. P. Licinio Craffo, et C. Caftio Longino Confulibus fpur. Liguftinus centurio patruelem fuam uxorem duxit. (2) Brutus Portiam confobrinam fuam, Antonius patruelem conjugio fibi copularunt. (3) Julia Augufti filia Marcello (4) et Livia Drufo confobrinis fuis nupferunt. (5) Imperator Marcus Antoninus pietate, et fapientia infignis Fauftinam confobrinam fuam duxit. Praeterea honeftas, juftafque fuiffe confobrinorum nuptias oftendunt fub Antonino Pio, et fub Marco Pomponius apud Paulum, (6) fub Commodo Marcellus, (7) fub Marco, et Commodo Scaevola, (8) fub Septimio Severo Papinianus, (9) fub Caracalla Tryphoninus, (10) fub

(1) Quaeft. Rom. cap. 6.
(2) Liv. lib. 42.
(3) Plutarch. in Bruto, atq. Antonio.
(4) Sveton. in vita Aug.
(5) Tacit. lib. 2. annal.
(6) L. 3. ff. de rit. nupt.
(7) L. 23 ff. de cond. inft.
(8) L. 78. §. filium ff. ad fc. Treb.
(9) L. 24 ff. de cond. inft.
(10) L. 67. ff. de rit. nupt.

ſub Alexandro Paulus, (1) quod quidem ex Caracallae, et Alexandri ſeveri reſcripto apertiſſime liquet. (2) Denique Conſtantina, et Helena Conſtantini magni filiae conſobrinis ſuis nupſerunt. Conſtantina quidem Annibaliano primum, quem Coſtantini Magni frater Dalmatius genuerat, deinde Gallo, quem alter ejusdem Conſtantini frater Conſtantinus procrearat, Helena vero Juliano altero ejusdem Coſtantini filio nupſit.

Flavius Theodoſius, cognomento Magnus primus conſobrinorum nuptias vetuit conſtitutione edita circa annnm Chriſti trecenteſimum, octogeſimum quartum, quae quidem licet hodie non extet, ejus tamen mentionem faciunt ipſius Theodoſii filii Arcadius, atque Honorius. (3) Ejusdem etiam Theodoſianae conſtitutionis meminerunt ſextus Aurelius Victor. (4) *Vinolentiam ſcilicet, et cupiditatem triumphandi uſque eo deteſtatus eſt.* (Theodoſius) *ut bella non moverit, ſed invenerit, prohibueritque lege miniſteria laſciva, pſaltriaſque comeſſationibus adhiberi, tantum pudori tribuens, et continentiae, ut conſobrinorum nuptias vetuerit tanquam ſororum.*

Iterum Ambroſius in ea, quae ad Paternum ſcribit epiſtola. *Si divina te praetereunt, ſaltem Imperatorum praecepta, a quibus ampliſſimum accepiſti bonorem, haudquaquam te praeterire debuerant. Nam Theodoſius Imperator etiam fratres patrueles, et conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine, et ſeveriſſimam poenam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fra-*

trum

(1) §. L. 3.
(2) L. 2. cod. de ſubſt. inſt. L. cod. de condit. inſert.
(3) L. 3. cod. Theod. de inceſt. nupt. et L. unic. cod. Theod. ſi nupt. ex reſcr. pet.
(4) Epitom. hiſtor. ſub fin.

trum pia pignora ; et tamen illi invicem sibi aequales sunt, tantummodo, quia propinquitatis necessitudine, et fraternae societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit debere, quod nati sunt.

Tertio Augustinus in decimo, quem de civitate Dei inscripsit libro. *Experti autem sumus in conubio consobrinarum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quoniam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, et nondum prohibuerat lex humana: verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti, et quod fiebat cum consobrina, pene cum sorore fieri videbatur: quia et ipsi inter se propter eam propinquam consanguinitatem fratres vocantur, et pene germani sunt.* Et post pauca: *verumtamen quis dubitet honestius hoc tempore consobrinarum prohibita esse conjugia, nec solum secundum ea, quae disputavimus propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas necessitudines una persona, cum duae possint eas habere, et numerus propinquitatis augeri; sed etiam quia nescio quomodo inest humanae verecundiae quiddam naturale, atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus etiam ipsam pudicitiam conjugalem.*

Hanc Theodosii Magni legem Arcandius in Oriente Honorius in Occidente duabus latis constitutionibus confirmarunt, quorum alter sublata ignis, et bonorum proscriptionis poena a patre statuta sic cavit. (1) *Imperatores Arcadius, et Honorius Augusti Euthychiano P. P. Manente circa*

(1) L. 3. cod. Theod. de incest. nupt.

ca eos sententia, qui post latam dudum legem quoquomodo absoluti sunt, aut puniti, si quis incestis posthac consobrinae suae, vel sororis, aut fratris filiae, uxorisve, vel ejus postremo, cujus vetitum, damnatumque conjugium est, sese nuptiis funestarit, designato quidem lege supplicio (hoc est ignis, et proscriptionis) careat, proprias etiam, quamdiu vixerit teneat, facultates. Sed neque uxorem, neque filios ex eas editos habere credatur, ut nihil prorsus praedictis, ne per interpositam quidem personam, vel donet superstes, vel mortuus derelinquat. Dos si qua forte solemniter aut data, aut dicta, aut promissa fuerit, juxta jus antiquum, fisci nostri commodis cedat. Testamento suo extraneis nihil derelinquat sed sive testato, sive intestato legibus ei, et jure succedant, si qui forte ex justo, et legitimo matrimonio editi fuerint, hoc est de descendentibus filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis; de ascendentibus pater, mater, avus, avia: de latere frater, soror, patruus, amita. Testandi sane ita demum habeat facultatem, ut his tantum personis pro juris, ac legum, quod voluerit, arbitrio relinquat, quas succedere imperialis praecepti tenore mandavimus: ita tamen, ut haereditate defuncti penitus arceatur, si quis ex iis, quos memoravimus, in contrahendis incestis nuptiis participatum, atque consilium iniisse monstrabitur; successuro in locum illius, qui post eum gradum proximus invenitur. Id sane, quod de viris cavimus, etiam de foeminis, quae praedictorum se consortio commaculaverint, custodiatur, memoratis vero personis non extantibus fisco locus pateat. Ad cujus legis nexum, et conditionem pertinere jubemus,

si qui

si qui forte jamdudum, hoc est ante promulgationem hujus legis, illicitis memoratarum nuptiarum sceleribus commaculati, quoquo modo latere potuerunt. Dat. VI. Kal. Dec. Constantinop. Arcad. IV. et Honor. III. AA. Coss.

Alter vero scilicet Honorius permissis nonnisi ex Principis rescripto consobrinorum nuptiis statuit (1) *Imperatores Honorius, et Theodosius AA. Theodor. PP. Quidam vetusto juris ordine praetermisso, obreptione precum nuptias, quas se intelligunt non mereri, de nobis aestimant postulandas, se habere puellae consensum confingentes: quapropter tale sponsaliorum genus praesentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem, nuptias precum subreptione meruerit, amissionem bonorum, et poenam deportationis subiturum se esse non ambigat. Et amisso jure matrimonii, quod prohibita usurpatione meruerit, filios se juste hac ratione susceptos non habiturum, nec unquam postulatae indulgentiae, adnotationisve Principis indulto efficacem se veniae effectum meruisse. Exceptis his, quos consobrinorum, hoc est quarti gradus conjunctionem lex triumphalis memoriae patris nostris exemplò indultorum supplicare non vetavit; exceptisque his, qui parentum sponsione de nuptiis filiarum impleri desiderant, vel sponsalia, hoc est, arrarum data nomine, reddi sibi praecepto legum cum quadrupli poena deposcuut. Nos enim peti de nobis nuptias supplicatione prohibemus, quas deceat de voluntate parentum, vel de ipsis adultis puellis, aut mulieribus impetrari. Nam si negato conjugio, quod fuerat ante promissum, lis aliqua legum prae-*

(1) L. un. cod. Th. si nupt. ex resc. pet.

praecepto nascatur, de jure nos consuli non vetamus. Dat. Kal. Febr. Ravennae DD. NN. Honor. VIII. et Theodos. III. AA. Coss.

An autem Justinianus consobrinorum nuptias sua illa constitutione: *Duorum autem fratrum* (1) in Oriente permiserit necne, gravissimi scinduntur studia in contraria juris interpretes, alii adfirmativam, alii negativam lectionem tuentes; quomodocumque vero se res habeat, illud plane constat, quod nono vertente saeculo hujusmodi matrimonia vetuerunt Imperatores Graeci vigente per Occidentem Honorii constitutione. In praestantissimo igitur Basilicorum opere, quod Basilius Magnus inchoavit, ejusque filius Leo philosophus perfecit haec extat lex, qua consobrinorum nuptiae vetantur. (2) *Quin et inter eas personas, quae ex transverso sunt, est quaedam prohibitio. Fratris enim mei aut sororis meae filiam ducere fas non est, sed nec horum neptem. similiter nec patrui, aut amitae filiam, hoc est consobrinam.*

Has quoque nuptias Gothorum, et Francorum legibus vetitas fuisse ex historia constat. Quas quidem leges Alamanni, et Bajovarii, qui Francorum Austrasiorum Regibus subjiciebantur, retinuerunt quemadmodum ex trigesimo, ac nono Alamannicarum legum capite planum fit, ubi haec leguntur. *Nuptias prohibemus incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem. Filii fratrum; filii sororum inter se nulla praesumptione jungantur. Si quis contra haec fecerit, a loci*

(1) §. 4. Inst. de nupt.
(2) Lib. 28. tit. 5. de proh. nupt.

loci judicibus separetur, et omnes facultates amittat, quas fiscus acquirat si minores personae sunt, quae se illicita conjunctione polluerunt, careant libertate, et servis fiscalibus aggregandae sunt.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, luculentissime perspicitur, impedimentum illud, quo naturalis cognatio dirimitur suum a civilibus duxisse prinicpium legibus, quas sua firmarunt auctoritate concilia, christianosque, qui eas violassent, spiritualibus poenis affecerunt.

Sequitur, ut de cognatione civili, *quae est propinquitas personarum ex adoptione proveniens* dicendum sit. Cognatio haec contrahitur, et nuptias impedit tum in linea recta inter parentes, et liberos in infinitum, tum etiam in linea transversa inter adoptatum, et liberos naturales adoptantis, nec non inter eos, qui parentum loco habentur.

Cognationis civilis impedimentum civili jure inductum eodem quoque jure matrimonium dirimere nemo non sentit. Id certe patet ex trigesimo et octavo digestorum libro, ubi haec habentur (1) *Non solum autem naturales filii, verum etiam adoptivi quoque jura consanguinitatis habebunt cum iis, qui sunt in familia, vel in utero, vel post mortem patris nati.*

Deinde in vigesimo ac tertio digestorum libro haec habentur (2) *Adoptivus filius si emancipetur, eam, quae patris adoptivi uxor fuit; ducere non potest, quia novercae locum habet. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quae nurus loco est, nequidem post emancipationem*

(1) L. non solum 67. ff. de rib. nupt.

(2) L. 14. ff. de rib. nupt.

nem filii ducere poterit, quoniam aliquando ei nurus fuit.

Preterea eodem digestorum libro cavetur (1) *Per adoptionem quaesita fraternitas eousque impedit nuptias, donec manet adoptio; ideoque eam, quam pater meus adoptavit, et emancipavit, potero uxorem ducere. Aeque et si me emancipato, illam in potestate retinuerit, poterimus jungi matrimonio.*

Denique hoc ex Justinianeis Institutionibus confirmatur. (2) *In plurimis causis adsimilatur is, qui adoptatus, vel adrogatus est ei, qui ex legitimo matrimonio natus est.*

Quibus sane civilibus legibus utitur respondens ad consulta Bulgarorum Nicolaus I., ut ex spirituali cognatione matrimonium dirimi probaret; cujus verba infra adducemus. Hisce igitur disputatis dirimens cognationis legalis impedimentum civili profectum jure fuisse inficiabitur certe nemo.

Superest modo, ut de cognatione spirituali sermo sit, quae est *propinquitas personarum, quae oritur ex administratione sacramentorum Baptismi, vel Confirmationis, vel ex susceptione baptizati, vel confirmati.* Hoc quoque impedimentum suam Imperatoribus Justiniano, et Carolo Magno acceptam refert originem. Quod enim ad impedimentum attinet ex Baptismi administratione, vel ex baptizati susceptione proveniens haec ab Justiniano ipso statuuntur. (3) *Ea persona ad nuptias omnino venit prohibenda, quam aliquis sive alumna sit; sive a sacrosancto suscepit Baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectio-*

(1) L. 17. ff. de rit. nupt.
(2) §. J. 8. de nupt.
(3) L. si quis alumnam 26. cod. de nupt.

ctionem, et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem, Deo mediante, animae eorum copulatae sunt.

Quod vero ad impedimentum ex confirmationis administratione, vel ex confirmati susceptione dimanans haec idem Imperator Carolus Magnus in quinto suorum Capitularium libro decernit. *Nullus igitur proprium filium, vel filiam de fonte Baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium, vel filiam ad confirmationem tenuerit, ubi autem factum fuerit, separentur.* Jam vero Nicolaum primum de civili, ac spirituali cognatione disserentem audiamus, qui ad consulta Bulgarorum respondens haec a Principibus matrimonii impedimenta repetere non dubitat. (1) *Unde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium, quandoquidem nec inter eos, qui adoptione filii sunt VENERANDAE ROMANAE LEGES matrimonium contrahi permittunt. Siquidem primus Institutionum liber cum de nuptiis loqueretur inter caetera: Intereas ea, inquit, personas, quae parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, velut inter patrem, et filiam, vel avum, et neptem, vel matrem, et filium, vel aviam, et nepotem, et usque ad infinitum; et si tales personae inter se cojerint, nefarias, atque incestas nuptias contraxisse dicantur, et haec adeo sunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse coeperint, non possint inter se matrimonio jungi: itaque eam, quae mihi per adoptionem filia, aut neptis esse coeperit, non potero uxorem ducere, et infra: si quis per adoptionem*

(1) Cap. 2.

nem soror esse coeperit, quandiù quidem constat adoptio, sane inter me, et eam nuptiae consistere non possunt, si ergo inter eos non contrabitur matrimonium, quos adoptio jungit: quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per coeleste Sacramentum regeneratio sancti spiritus vincit? Sic igitur Nicolaus latas a christianis Imperatoribus de matrimonio leges sequitur ac veneratur, et Bulgaris sequendas proponit.

Neque vero quis mihi Deusdedit Pontificis ad Gordanum Hispalensem epistolam objiciat, qua Julium, et Innocentium I. in constituendo spiritualis cognationis ex Baptismate provenientis impedimento Justinianum antecesisse probari contenditur, eam namque epistolam falsam, atque adulterinam critici viderunt, atque improbarunt. Ex quibus omnibus satis abunde patet, quod non Ecclesia, non Concilia, non Pontifices, sed christiani Imperatores, ac Principes dirimentia illa naturalis, civilis, ac spiritualis cognationis impedimenta sanxerunt.

V. CRIMEN

V.

CRIMEN

IMpedimentum criminis, quod ex teterrimis duobus delictis adulterio scilicet, atque homicidio coalescit, a civili constitutum jure fuit, ut maritorum incolumitati quam maxime consuleretur. Adulterium namque, quo quis alterius conjugem polluit; matrimonium dirimere testatur Papinianus, (1) qui sub Imperatore Alexandro Severo floruit, dum ait. *Claudius Seleucius Papiniano suo salutem. Maevius in adulterio Semproniae damnatus eamdem Semproniam non damnatam duxit in uxorem, qui moriens eam haeredem reliquit; quaero, an justum matrimonium fuerit, et an mulier ad haereditatem admittatur. Respondeo NEQUE TALE MATRIMONIUM STARE, neque haereditatis lucrum ad mulierem pertinere, sed quid relictum est, ad fiscum pervenire. Sed et si talis mulier virum haeredem instituerit, et ab eo quoque ut indigno haereditatem auferri dicimus.* Idem alibi haec scribit (2) *Licet mulier ei, qui in suspicionem adulterii incidit, nupsisse dicatur, non ante accusari poterit, quam adulter fuerit convictus. Alioquin ad hoc maxime viri confugiunt volentes bene concordatum DIRIMERE MATRIMONIUM, ut dicant cum adultero mulierem nuptias contraxisse.* Quare dirimens matrimonium impedimentum ex turpissimo adulterii crimine dimanans civilibus legibus jam ipso imperante Alexandro

 Se-

(1) L. 13. ff. de his, quib. ut ind. leg. aufer.

(2) L. mulier 11. §. licet ff. ad L. Jul. de adult.

Severo conſtitutum agnovit Divus Auguſtinus, dum inquit (1) *Mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non poteſt, cum quo prius adulterium fuit.* Ubi tamen Gratianus perperam legit, *fieri verum connubium poteſt*, detracta negatione in capite *denique* trigeſimo primo, quaeſtione prima. Errorem Gratiani, qui multis impoſuit, vidit doctiſſimus Cujacius. (2) Auguſtinus igitur, ubi docuit nullum fieri poſſe conjugium, quocum adulterium admiſſum fuit, civilium habuit rationem legum, quibus vel ſub Alexandro Severo hujuſmodi connubia irrita declarabantur.

Denique Iuſtinianus novella ſua cavit, (3) ut nullam matrimonia inter adulterum, et maecham vim haberent, ſed vir extremis mortis ſuppliciis afficeretur, mulier vero in monaſterium perpetuo detruderetur, atque compingeretur. *Si quis vero*, inquit Imperator, *accuſatus de adulterio, per proditionem judicum, aut alio quolibet modo a legibus poenas effugerit, et poſt hoc inveniatur cum muliere, de qua accuſatus eſt, turpiter converſatus, aut in matrimonium accipere eam, et hoc fiat vivente marito, aut poſt ejus mortem, NEQUE MATRIMONIUM VALERE JUBEMUS, ſed eum, qui hoc delinquere praeſumpſerit, et ſi prius profugerit, attamen licentiam damus omni judici et comprehendere eum, et poſt tormenta ultimis ſuppliciis ſubjicere, nulla alia excuſatione, aut probatione facienda, et mulierem caſtigatam, et detruſam monaſterio immitti jubemus, et ibi manere in omne.*

(1) Lib. 1. cap. 10. de nupt. et concup.

(2) Inſtit. 7. de eo qui dux. in matr. lib. 4. decretal.

(3) Novell. 134. coll. 4.

omne tempus propriae vitae: Utriusque vero substantiam secundum praedictum ordinem dividi periculo, sicut praediximus, tam comitis privatorum, quam judicis loci.

Triburienfis concilii patres priusquam de hujusmodi criminis impedimento aliisque, quae ecclesiasticam disciplinam spectarent, quidpiam decernerent, talibus Arnulphum Regem verbis alloquuti sunt. *Inter alia namque quibus divina, et humana tractaturi erant* (Sacerdotes) *communi voto, et pari consensu de collegio sanctorum Sacerdotum gnaros, et idoneos direxerunt mediatores ad praefatum pium Regem, inquirentes, quo studio, et quali benignitate secundum sapientiam, et possibilitatem ab ipso Deo sibi datam Ecclesiam Christi, illi per regalem potestatem, ipsis per sacerdotalem eminentiam commissam defendere, ministerium illorum amplificare, et sublimare dignaretur.* Hinc factum est, ut secundum haec illum, quem modo excribimus, canonem ediderint. *Illud vero communi decreto secundum canonum instituta definimus, ut si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur matrimonio quam prius polluit adulterio. Nolumus ergo, nec christianae religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium, quam prius polluit per adulterium.* Triburienses scilicet patres ea, qua praestabant, sapientia optime intelligebant, hujusmodi *criminis* impedimentum ad civilem potestatem pertinere, proindeque ad Arnulphum Regem confugiunt, qui omnem huic, aliisque ad disciplinam spectantibus canonibus vim, atque auctoritatem tribueret.

Quoniam vero, ut verbis Catonis utar, nullum tantum scelus, aut tam magnum facinus est, ad quod suscipiendum libido voluptatis, violataeque pudicitiae audacia non impellat, saepe saepius contingit, ut adulterium homicidium sequatur, hinc sapientissime cautum legibus est, matrimonium illud, cui nefandum homicidii crimen causam dedit, pro irrito, atque infecto haberi: adeo namque gravissimum hujusmodi scelus detestatus est Imperator Justinianus, ut ejus atrocitate proposita parricidium appellare non dubitaverit. (1) Quare de Indis Diodorus Siculus (2) de Gallis Julius Caesar (3) memoriae prodiderunt, quod ubi paterfamilias decederet, ejus propinqui conveniebant, et de morte, si res in suspicionem veniret, de uxoribus servilem in modum quaestionem habebant, et si compertum est, igni, atque omnibus tormentis excruciatas interficiebant. Ex hisce sane civilibus legibus, institutisque, quibus in tanti homicidii reos animadvertebatur, argui potest, impedimentum *criminis*, quod ex homicidio manat, suum ex illis traxisse principium. Neque me certe latet, quod Juveninus (4) aliique hujusmodi impedimentum repetunt ex concilio Vermeriensi ann. 752. habito, dum haec canone quinto statuuntur. *Si quae mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, et ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest ille vir ream eam esse consilii, potest, ut nobis videtur,*

(1) L. ff. ad L. Pomp. L. 1. cod. de his qui par. L. final. cod. ad L. corn. de sic.

(2) Lib. 19.

(3) Lib. 2. Comment.

(4) De Sacram. p. 650.

tur, ipsam uxorem dimittere, et si voluerit aliam ducere. Verum cum Iustinianus, qui Imperii habenas ab anno 527 usque ad annum 565. tenuit, id ipsum de justis divortiorum causis marito permissis novella 117. statuerit, *si quolibet modo mulier vitae viri fuerit insidiata aut aliis hoc facientibus consentiens viro non indicaverit*, procerto habendum est, hoc, de quo agitur, impedimentum non ab illo Vermeriensis concilii canone, qui ipsam Justiniani novella inniti videtur, sed ab Imperatore Justiniano, qui Vermeriense concilium diu, multumque anteivit, profluxisse. Quibus constitutis patet, dirimens illud *criminis* impedimentum, quod tum ex adulterio tum ex homicidio proficiscitur, civilibus ortum fuisse legibus, quas deinde Pontifices, Doctorum personam agentes variis distinctionibus ac interpretationibus illustrarunt, atque declararunt.



VI.

CULTUS DISPARITAS

NUlla certe naturali, aut divina lege irrita declarantur inter eos matrimonia, qui diversam religionem profitentur. Et sane Ester Judaea Assuero nupsit, Samson Dalilam philistaeam, Salomon vero Egiptii Regis filias uxores duxerunt, nec unquam in sacris codicibus hujusmodi matrimonia vel adulteria, vel strupra dicuntur. Fidelium cum Judaeis matrimonia primus omnium sua prohibuit Imperator Constantius lege, (1) quae sic habet. *Imperator Constantius A. ad Evagrium. Quod pertinet ad mulieres, quas Judaei in turpitudinis suae duxere consortium in gynecio nostro ante versatas, placet easdem restitui in gynecio, idque in reliquum observari ne christianas mulieres suis jungant flagitiis, vel si hoc fecerint, capitali periculo subjugentur.*

Sic quoque ineunte quinto saeculo Imperatores Valentinianus, et Valens ea, quae Christiani cum Judaeis, atque Infidelibus iniissent matrimonia vetuerunt (2) fontesque morte multarunt. *Imperatores Valentinianus, et Valens AA. ad Theodosium magistrum equitum. Nulli provincialium cujusque ordinis, et loci fuerit cum barbara sit uxore conjugium, nec ulli gentilium provincialis foemina copuletur, nisi quae inter provinciales, atque gentiles affinitates ex ejusmodi nuptiis extiterunt: quod in iis suspectum, vel noxium*

(1) L. 6. C. Th. de Jud.
(2) L. 4. cod. Th. de nupt. Gentil.

xium detegitur, capitaliter expietur. Dat. V. Calend. Jun. Valentiniano, et Valente AA. Coſs.

Praeterea Imperatores Valentinianus, Theodoſius et Arcadius legem tulerunt (1) qua irrita Chriſtianos inter, atque Judaeos matrimonia declarantur, eaque non connubia, ſed adulteria dicenda eſſe ſtatuitur. *Imperatores Valentinianus, Theodoſius, et Arcadius AA.* Cynegio *P. P. Ne quis Chriſtianam mulierem in matrimonium Judaeus accipiat, neque Judaeae Chriſtianus conjugium ſortiatur. Nam ſi quis aliquid hujuſmodi admiſerit, adulterii vicem commiſſi hujus crimen obtinebit: libertate in accuſandum publicis quoque vocibus relaxata. Dat. prid. Id. Mart. Theſs. Theod. XII., et Cynegio Conſ.*

Dirimens igitur matrimonium impedimentum, quod *cultus diſparitas* vocatur a Chriſtianis Imperatoribus originem ducit, proindeque noſtrum toto aberraſſe coelo Bellarminum nemo non videt, qui hujuſmodi impedimentum nullà lege, aut conſtitutione, ſed ſola invectum conſuetudine fuiſſe commentus eſt.

VII. *VIS*

(1) L. 2. cod. Th. de nupt.

VII.

VIS

NIhil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus, quem comprobare contra mores est inquit Ulpianus. (1) Cum autem tum in humanis omnibus, tum in connubialibus potissimum conventionibus, quae nunquam dissolvi possunt, consensus ipsa praecipiente natura liber esse debeat, (2) ideo nuptiae per vim, et metum gravem injuste illatum, qui libertatem excludunt, contractae irritae ipso jure naturae habentur. Justus namque metus, et vis matrimonium non vitiant, ex. gr. si quis minis, et vi ab judice adigatur, ut cum muliere illa, cui fidem dedit, matrimonium contrahat. Metus quoque ad hoc, ut matrimonium dirimat in constantem virum cadere debet, isque dicitur, cum grave malum, quod facile depelli non possit, immineat. (3) Solus vero metus, qui a paterna, materna, fraternaque reverentia proficiscitur, ex ipso civilium legum praescripto matrimonium non dirimit, (4) nisi tamen minae, aut verbera, aut vincula, aut diuturni mali metus accederent, si quid enim hujusmodi accedat, in constantem virum metus cadere censetur.

Maneat igitur, impedimentum, illud quod dicitur *Vis* solo jure naturae matrimonium dirimere.

VIII. *ORDO*

(1) L. nihil 116 ff. de reg. jur.

(2) L. non cogitur 21. L. invitum 28 ff. de rit. nupt. L. Titia 134 ff. de v. O L. nec filium 12. L. neque ab initio 14. cod. de nupt.

(3) L. non est verisimile 23 ff quod met. caus.

(4) L. Si patre 22. ff. de rit. nupt. ibique Gothofr. Nordt. ad eumd. tit. ff. §. quemadmodum.

VIII.

ORDO

QUae de solemni voto superius disseruimus, de impedimento sacri ordinis dicenda videntur. Ordo namque sacer juxta, ac solemne votum neque ex se, neque ex suapte natura matrimonium dirimit, sed solum ex eo, quod quicumque sacerdotali munere fungi mavult, ad contrahendum matrimonium inhabilis efficitur. Matrimonium in communitatis officium institutum a natura fuit, ergo ad communitatem, eosve qui communitatem moderantur, Principes, Regesque omnino pertinet, ut sacerdotes ad contrahendas nuptias non apti reddantur. Hoc sane Aurelianensis Concili I. Patres viderunt, quibus canone quarto cautum sapientissime fuit, ut nemo nisi impetrata Regis venia ad clericatus dignitatem adspirare contenderet. *Ut nullus saecularium ad clericatus officium praesumatur, nisi aut Regis jussione, aut Judicis auctoritate*. Hinc factum, ut Imperator Carolus Magnus primo capitularium libro sua hujusmodi canonem lege confirmaverit. *De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant quam a nobis licentiam postulent*.. Ex eo igitur Aurelianensis Concilii canone; et Caroli Magni constitutione colligitur, neminem ad communitatis officium idest matrimonium, inhabilem reddi posse, nisi ipsius communitatis ejusve qui communitati praest, consensus accedat. Imo ipsi Principes, atque Imperatores fuerunt, qui hoc, de quo agitur, impedimentum latis olim legibus invexerunt.

Im-

Imperator ſcilicet Juſtinianus eos omnes, qui ſacris initiari vellent, matrimonio jungi vetuit, eoque proceſſit, ut ſacerdotum connubia adulteria, ac ſtupra appellaverit, natos ex hiſce conjunctionibus filios illegitimos, ac ſpurios habuerit illoſque paternae, maternaeque haereditatis expertes pronunciaverit. *Sacris canonibus*, inquit Imperator, (1) *neque Deo amantiſſimis Praesbiteris neque reverendiſſimis Diaconis, aut Subdiaconis nuptias contrahere poſt hujuſmodi ordinationem permittentibus, ſed ſolis Pſaltris, et Lectoribus id concedentibus, animadvertimus quosdam deſpicientes quidem ſacros canones, pueros autem generantes ex quibusdam mulieribus, quibus conjungi ſecundum ſacerdotalem cenſuram non poſſunt; quoniam igitur poena facinoris in ſola ſacerdotii erat amiſſione, ſacros autem canones non minus, quam leges valere etiam noſtrae volunt leges, ſancimus obtinere in illis, et quae ſacris viſa ſunt canonibus perinde, ac ſi civilibus inſcriptum eſſet legibus, et omnes iſtiuſmodi homines tam ſacerdotio, quam divino miniſterio, atque etiam dignitate ipſa, quam habent nudari, quemadmodum enim ſacris canonibus prohibita ſunt talia, ſic et ſecundum noſtras leges rem ipſam prohiberi, et praeter ſupradictam in excidendo miniſterio poenam, ne legitimos quidem, et proprios eſſe eos, qui ex hujuſmodi inordinata conſtupratione naſcuntur, aut nati ſunt, ſed eam, quae ex talibus ſeminibus oritur, participari turpitudinem. Tales enim eos eſſe diſponimus, quales, quos leges ex inceſtis, aut nefariis nothos nuptiis definiunt; ita ut neque naturales, aut nothi, ſeu ſpurii intelligantur, ſed prorſus et undique prohibiti, et ſucceſſionis genitorum*

(1) L. 55. cod. de Epiſcop. et cler.

rum indigni , ac ne donationem ab illis capere possint , neque hi , neque horum matres , ne per interpositam quidem personam , sed omnibus in hos collatis a partibus beneficiis ad sanctam Ecclesiam , ex qua sunt , qui talia deliquerunt revertentibus : quod enim sacri canones prohibent , ID ETIAM PER NOSTRAS ABOLEMUS LEGES.

Hinc omissis aliis Justiniani legibus quibus clericos ad nuptias properantes , exceptis dumtaxat cantoribus, atque lectoribus , sacerdotio cadere ipse sancivit , (1) luculentissime patet , quantum discriminis canones inter, et civiles leges cedat . Quod enim illi solum vetant , et faciendum impediunt , hae factum abolent , ac tollunt . Apostolicus ille canon sacerdotum conjugia solum prohibuit ; *in nuptiis autem qui ad clerum provecti sunt praecipimus , ut si voluerint , uxores accipiant : sed lectores , cantoresque tantummodo* . Justinianus vero , quae canone hujusmodi contrahenda vetabantur connubia, ea vel inita abolevit , atque diremit : *Quod canones prohibent , id per nostras abolemus leges* .

Non igitur ab apostolico illo canone , ut perperam effutiit Vajus in ea , quam de naturali matrimonii sanctitate habuit disputatione , sed ab Justiniano Imperatore cautum est, ut sacer ordo matrimonium dirimeret . Quae enim Apostolicus canon conjugia solum prohibuit , et ineunda impedivit, eadem Imperator abolevit , inita diremit , et veluti adulteria ac stupra habuit , atque damnavit .

(1) Novell. 22. cap. 42. collat. 4. tit. 1. de nupt.

IX. LI-

IX.

L I G A M E N

Ligaminis impedimentum, quo ſequens matrimonium cum alia muliere, vivente priore, contractum dirimitur, naturali, ac divina lege inductum eſt. Principes latis legibus declararunt, populiſque ſervandum propoſuerunt. *Neminem*, inquit Juſtinianus, *qui ſub ditione ſit Romani nominis, binas uxores habere poſſe vulgo patet, cum etiam in edicto praetoris hujuſmodi viri infamia notati ſint, quam rem competens judex inultam eſſe non patiatur.*



X. HO-

X.

HONESTAS

DIrimens publicae honeſtatis impedimentum, quod ex ſponſalibus puris, vel ex matrimonio rato, non autem conſummato naſcitur, jure civili conſtitutum in primis eſt. Sic enim in vigeſimo, et tertio digeſtorum de ritu nuptiarum libro habetur. *Inter me, et ſponſam patris mei nuptiae contrahi non poſſunt, quamquam noverca mea, non proprie dicatur, ſed et per contrarium ſponſa mea patri meo nubere non poterit, quamvis nurus non proprie dicatur*. Sic quoque Juſtinianus cavit. (1) *Si uxor tua poſt divortium ex alio filiam procreavit, haec non eſt quidem privigna, ſed Julianus ab ejuſmodi nuptiis abſtinere debere ait. Nam conſtat, nec ſponſam filii nurum eſſe, nec patris ſponſam novercam eſſe, rectius tamen, et jure facturos eos, qui ab hujuſmodi nuptiis abſtinuerint*. Neque mihi quis Julii I. decretum a Gratiano relatum memoret (2) a quo publicae honeſtatis impedimentum inductum fuiſſe nonnulli exiſtimarunt, *ſi quis deſponſaverit*, ita ſe illud habet *uxorem, vel ſubbarraverit, et ſive praeveniente die mortis, ſive irruentibus quibusdam aliis cauſis minime eam cognoverit, neque ejus ſuperſtes frater, neque ejus de conſanguinitate ejus eandem ſibi tollat in uxorem ullo unquam tempore*, hoc namque adulterinum, falſumque norunt eruditiſſimi viri.

Per

(1) §. Inſt. 9. de nupt. L. 12. §. ſi uxor 3. ff. de rit. nupt.

(2) Cauſ. 27. quaeſt. 2,

Per duodecim priora faecula hujufmodi impedimentum ad feptimum ufque gradum extendebatur, fed Concilium Lateranenfe III. ad quatuor tantum gradus redegit, Tridentinum vero Concilium, primum non excedere gradum, fi ex ratis fponfalibus ortum fuerit, decrevit. Quibus certe conciliorum fanctionibus fuum faciles accommodarunt affenfum Principes, quorum legibus ejufmodi matrimonium dirimens impedimentum conftitutum fuit.



XI.

SI SIS AFFINIS

ADfinitas est *necessitudo, quae contrahitur ex injustis, ac justis nuptiis inter conjugem, et conjugis alterius cognatos*. Haec a cognatione gradus quodammodo adsumit, et adfinium quasi quidem gradus numerantur per comparationem cum cognatione, adeoque talis in iis enumerandis traditur regula: *quo gradu aliquo est cognatus mariti, eodem adfinis est ejusdem uxori:* et contra, *quo gradu quis uxoris cognatus est, eodem adfinis sit ejusdem marito*. Adfinitas duas habet rectas lineas, et lineam transversam, sive collateralem. In prima linea recta continentur sursum versum socer, socrus, prosocer, prosocrus, et sic deinceps. Deorsum versum liberorum loco gener, nurus, progener, pronurus, et sic deinceps. In altera linea recta sunt sursum versum parentum loco vitricus, noverca, et sic deinceps, deorsum versum liberorum loco privignus, privigna, et sic deinceps. In transversa linea numerantur frater mariti, soror mariti, sive soror uxoris, uxor fratis, maritus uxoris.

Neque in linea recta, neque in linea transversa jure naturali, aut divino, sed civilibus legibus nuptiae prohibentur. Quamvis enim ad lineam rectam quod attinet in varias abierint sententias doctissimi viri, hodie tamen communi firmata consensu opinio percrebuit, in linea recta adfinitatis nulla naturae lege matrimonium prohiberi, aut dirimi. Et requidem vera Adonias,

nias, ut ex tertio regum libro constat, petiit Abisag uxorem patris sui. Apud Romanos socrum genero nupsisse narrat Tullius in ea, quam pro Cluentio habuit, oratione. Antiochum cum Stratonica noverca nuptias inivisse tradit Plutarchus in Demetrio. Ab Augusto, adeoque lege Papia Poppaea inter adfines in linea recta prohibitas primum fuisse nuptias existimat Heineccius. (1) In linea transversa adfinitatis nullo naturali, aut divino jure vetitum esse matrimonium in comperto est. Jacob enim penes Hebraeos duas sorores Liam, et Rachelem duxit, quinimo in sacris literis praecipitur, ut si frater sine liberis decedat, superstes frater defuncti uxorem accipiat, et ejus semen suscitet, id vero prohibetur, si liberos suscepisset. Penes Romanos Tulliam minorem, quae occiso fratri Arunti nupserat, uxorem duxit Tarquinius Superbus. (2) Marcum Crassum defuncti fratris uxorem duxisse refert Plutarchus in Crasso. Mamercus, teste Tacito (3) eam, quae fratris sui uxor fuerat, matrimonio sibi copulavit. Impedimentum utriusque adfinitatis, quae nempe tum ex legitimis, tum ex illegitimis nuptiis oritur, Christianorum Imperatorum legibus institutum est.

Ad primum adfinitatis genus ex justis nuptiis scilicet provenientis sic in Codice Theodosiano statutum legimus (4) *Imperatores Constantinus, et Constans AA. et Julianus Caesar ad Volusianum Vicarium urbis. Etsi licitum veteres crediderunt, nuptiis fratris solutis ducere fratris uxo-*

(1) Ad L. Jul. et Pap. lib. 2. cap. 17.

(2) Liv. lib. 1.

(3) Annal. lib. 3.

(4) L. 3. de incest. nupt.

uxorem, licitum etiam post mortem mulieris aut divortium, contrahere cum ejusdem sorore conjugium; abstineant hujusmodi nuptiis universi, nec aestiment posse legitimos liberos ex hoc consortio procreari, nam spurios esse convenit, qui nascentur. Dat. prid. Calend. Maji Romae Arbitione, et Lolliano consul. idest an. Christi 355.

Sic quoque in codice Justinianeo habetur (1) *Imperatores Valent. Theod. et Arcad. AAA. Cinegio, Fratris uxorem ducendi, vel duabus sororibus conjungendi, penitus licentiam summovemus, nec dissoluto quocumque modo conjugio.*

Hanc nuptiarum prohibitionem cum fratris uxore Imperator Arcadius confirmavit lata lege. *Manente circa eos sententia* (2) quam superius integram exposuimus.

Theodosius junior nuptias viri cum sorore uxoris, mulieris cum fratre mariti vetuit, et tamquam incestas habuit (3) *Imperatores Honorius, et Theodosius Augusti Aureliano P. P. Tamquam incestum commiserit, habeatur, qui post prioris conjugis amissionem, sororem ejus in matrimonium proprium crediderit sociandam. Pari et simili ratione etiam, si quae post interitum mariti in germani ejus nuptias crediderit adspirandum, illo sine dubio insecuturo, quod ex hoc contubernio nec filii legitimi habebuntur, nec in sacris patris erunt, nec paternam ut sui suscipient haereditatem. Dat. XVII. cal. Jan. Constantino X. et Theodosio VI. Aug. consul. idest ann. Chr.* 415.

Imperator Zeno prohibitionem nuptiarum

K 2 cum

(1) L. 5. de inc. nupt.
(2) L. 3. Cod. Th. de inc. nupt.
(3) L. ult. Cod. Th. de inc. nupt.

cum uxore fratris mortui, etiamsi virgo mansferit, confirmavit, easque irritas declaravit. (1) *Imperator Zeno A. Epinicio P. P. Licet quidam Aegiptiorum idcirco mortuorum fratrum sibi conjuges matrimonio copulaverint, quod post illorum mortem mansisse virgines dicebantur, arbitrati scilicet, quod certis legum conditionibus placuit, cum corpore non convenerint, nuptias non videri re esse contractas, et hujusmodi connubia tunc temporis celebrata firmata sunt: tamen praesenti lege sancimus, si quae hujusmodi nuptiae contractae fuerint, eas, eorumque contractores, et ex his, progenitos antiquorum legum tenori subjiacere, nec ad exemplum Aegiptiorum, de quibus supra dictum est, eas videri fuisse firmas, vel esse firmandas*. Idem quoque Imperator nuptias cum uxore fratris inhibuit, ac pro infectis habuit in lege, *Ab incestis nuptiis*, nona, quae in justinianeo codice de incestis nuptiis legitur. Quam quidem superius retulimus, adeoque ne actum agamus, missam facimus.

Justinianus pariter in suo codice (2) Diocletiani, et Maximiani Imperatorum legem refert, qua sic adfinium nuptiae vetantur. *Nemini liceat contrahere matrimonium cum filia, nepte ec. itemque ex adfinibus privigna, noverca, nuru, socru, ceterisque, que jure antiquo prohibentur, a quibus cunctos volumus se abstinere*.

Ad alterum vero genus adfinitatis, quae nempe ex injustis nuptiis nascitur, haec in Digestis lex habetur (3) *si qua in patris fuit concubinatu, deinde in filii esse coeperit vel nepotis, vel con-*

(1) L. penul. Cod. Justin. de inc. nupt.

(2) L. 18. Cod. de nupt.

(3) L. 1. §. penult. ff de concub.

contra, non puto eam rectè facere quia pro nefaria est hujusmodi conjunctio, et ideo hujusmodi facinus prohibendum est.

Sic in Codice Justinaneo Imperatoris Alexandri lex extat, qua impedimentum adfinitatis ex illegitima conjunctione dimanantis sancitur. *Liberi concubinas parentum suorum uxores ducere non possunt, quia minus religiosam, et probabilem rem facere videntur: qui si contra hoc fecerint, crimen stupri committunt.*

En igitur, quod dirimens utrisque adfinitatis impedimentum suam a civilibus legibus originem duxit.

Nonnulli vero neocesariensis concilii canones, et Divi Basilii epistolae, quibus adfinium nuptiae improbantur, antiquiori civili jure innituntur, spiritualesque solum in Christianos poenas constituunt, qui hujusmodi reluctante jure matrimonia ineuntes veluti gravissimi, ac publici criminis rei, tantique sacramenti violatores habebantur.

Jure antiquo hujusmodi impedimentum ad septimum usque gradum porrigebatur, nunc vero si ex conjunctione legitima ad quatuor, si ex illegitima oritur ad secundum usque gradum *inclusive* extenditur tridentino decernente concilio, quod certe, ipsis consentientibus Principibus, factum est.

XII.

SI FORTE COIRE NEQUIBIS

IMpotentia perpetua, de qua hic agitur, naturali jure nuptias dirimit. Quoniam vero necesse cum primis est, ut priusquam matrimonium distraheretur, aliquod praescriberetur tempus, quo conjuges rei uxoriae operam dare, suarumque vel adhibitis remediis virium periculum facere possent, hinc est, ut Principes, qui connubialia pacta moderantur, suis id omne legibus instituerint. Et sane Justinianus, ceteris omnibus subiatis juribus, quae biennium ad hoc praescripserunt, hujusmodi experiundae impotentiae causa triennium lata lege sancivit. Sic enim vigesima et secunda novella de nuptiis cavetur. *Per occasionem quoque necessariam, et non irrationabilem distrahitur matrimonium, quando aliquis impotens fuerit coire mulieri, et agere quae a natura viris data sunt: si biennium quidem secundum de hoc a nobis pridem scriptam legem, transcurrat ex nuptiarum tempore; ille vero, quia pro veritate est vir, non ostendat. Licebit enim mulieri, aut ejus patribus disjungere matrimonium, et mittere repudium, vel si noluerit hoc maritus, et hic quidem dos, si quae omnino data sit, sequetur mulierem, et reddet hanc vir, si contigit eam accipi: propter nuptias autem, seu ante nuptias donatio manet ad virum nihil de suo damnificandum. Hanc itaque legem corrigimus, brevi quidem adjectione. Non enim biennium numerari solum ex ipso tempore copulationis, sed triennium volumus; edocti nam-*

que

que sumus ex iis, quae ante haec provenerunt, quosdam amplius, quam biennium tempus non valentes, postea potentes ostensos ministrare filiorum procreationi. Sapientissima hac Imperatoris Justiniani lege utitur, ut omnino par est, Ecclesia, et si per hoc tempus nullo conjuges successu ad venerem nituntur, exacto triennio, matrimonium dirimitur, atque dissolvitur.



XIII.

SI PAROCHI, ET DUPLICIS DESIT PRAESENTIA TESTIS

Clandestinum matrimonium nullo non tempore damnatum, atque improbatum fuit. Tridentinum sane concilium peculiari quodam modo decrevit, ut hujusmodi clandestina matrimonia, quae parochi, et duorum testium praesentia destituerentur, pro infectis, atque irritis forent, sed illud suis Imperatores legibus, atque constitutionibus antecesserunt. Profecto Imperator Leo octogesima, ac nona novella cavit, ut ea matrimonia, quae nullo sacrae benedictionis testimonio confirmarentur, suis omnino viribus carerent. *Sacrae benedictionis testimonio matrimonia confirmari jubemus, adeo ut si quis citra hanc matrimonium ineant, matrimonii jure potiri nolumus.*

Ita quoque Imperator Carolus Magnus in sexto Capitularium libro statuit, ut *Christiani ex propinquitate sanguinis usque ad septimum gradum connubia non ducant, neque sine benedictione sacerdotis, qui ante innupti erant, nubere audeant.*

Preterea Rogerius Siculorum Rex talem hac de re legem tulit. *Sancimus lege praesenti volentibus omnibus contrahere matrimonium, necessitatem imponi universis hominibus regni nostri, et nobilibus maxime, post sponsalia celebrata, solemnitate debita, et sacerdotali benedictione praemissis, matrimonium solemniter, et publice celebrari, alioqui noverint amodo morientes con-*

tra

tra nostrum regale edictum, neque ex testamento, neque ab intestato se habiturum haeredes legitimus ex clandestino matrimonio, et illicito contra nostram sanctionem procreatos: mulieres etiam dotes aliis nubentibus legitime debitas non habere, rigorem cujus sanctionis illis omnibus remittimus, qui promulgationis hujus tempore jam matrimonium contraxerunt: viduis etiam volentibus ducere uxorem, hujus necessitati vinculum relaxamus. Patet igitur, dirimens clandestini matrimonii impedimentum suum a civilibus legibus traxisse principium, nec aliud reapse a Tridentino factum concilio fuisse, quam ut hujusmodi leges, quae non ubique retinebantur, vel christianis ipsis rogantibus Principibus ad pristinam dignitatem, auctoritatemque revocarentur.



XIV. *RA-*

XIV.

RAPTAQUE SIT MULIER, NEC PARTI REDDITA TUTAE

DUplex est raptus, quo matrimonium dirimitur. Alter est, quo quis ad contrahendum matrimonium, explendamve libidinem mulierem abducit invitam, alter vero est, quo quis sollicitatam muneribus, vel prece blanda puellam, vel quamlibet aliam foeminam rapit. Utrumque raptus genus in dirimens matrimonii impedimentum a Christianis Imperatoribus institutum est. Insignis adversus raptum virginum Constantini Magni lex extat, quae sic in Theodosiano codice legitur. *Imperator Constantinus A. ad populum. Siquis nihil cum parentibus puellae ante depectus, invitam eam rapuerit, vel volentem abduxerit, patrocinium ex eius responsione sperans (quam propter vitium levitatis, et sexus mobilitatem atque consilii, a postulationibus, et testimoniis, omnibusque rebus judicatis antiqui penitus arcuerunt) nihil ei secundum ius vetus prosit puellae responsio; sed ipsa puella potius societate criminis obligetur. Et quoniam parentum saepe custodiae nutricum fabulis, et pravis suasionibus deluduntur, his primum, quarum detestabile ministerium fuisse arguetur redemptique discursus, poena immineat, ut eis meatus oris, et faucium, qui nefaria hortamenta protulerit, liquentis plumbi ingestione claudatur. Et si voluntatis adsensio detegitur in virgine, eadem qua raptor, severitate plectatur cum neque his impunitas praestanda sit, quae*

quae rapiuntur invitae ; cum et domi se usque ad coniunctionis diem servare potuerint . Et si fores raptoris frangerentur audacia , vicinorum opem clamoribus quaerere , seque omnibus tueri conatibus . Sed his poenam leviorem imponimus , solamque eis parentum negari successionem praecipimus . Raptor autem indubitate convictus , si appellare voluerit , minime audiatur . Si quis vero servus , raptus facinus dissimulatione praeteritum , aut pactione transmissum detulerit in publicum , latinitate donetur , aut si latinus , civis fiat Romanus . Parentibus , quorum maxime vindicta intererat si patientiam praebuerint , ac dolorem , compresserint , deportatione plectendis . Participes etiam , et ministro raptoris citra discretionem sexus , eadem poena praecipimus subjugari . Et si quis inter haec ministeria servilis condictionis fuerit deprehensus citra sexus discretionem eum concremari jubemus . Dat. Kal. April. Costantino A. VI. et Constant. C. cop. (320)

Imperatoris Constantis quoque lex eodem codice adversus raptum virginum sic habetur. *Imperator Constantius ad Tatianum . Quamvis legis prioris extet auctoritas , qua inclytus pater noster contra raptores atrocissime jusserat vindicari , tamen nos tantummodo capitalem poenam constituimus : videlicet ne sub specie atrocioris judicii aliqua in ulsciscendo crimine delatio nasceretur . In audaciam vero servilem dispari supplicio mensura legum impendenda est , ut perurendi subjiciantur ignibus , nisi a tanto facinore saltem poenarum acerbitate revocentur . Dat.* 11. *Id. novemb. Limelio , et Catullino Cons.* (349)

Deinde Imperator Justinianus sapientissimam hanc

hanc de raptu virginum legem fancivit. (1) *Raptores virginum honestarum, sive iam desponsatae fuerint, sive non, vel quarumlibet viduarum foeminarum, licet libertinae, vel servae alienae sint, pessima criminum peccantes capitis supplicio plectendos, decernimus, et maxime si Deo fuerint virgines, vel viduae dicatae*. Et post alia: *nec sit facultas raptae virgini, vel vidue, vel cuilibet mulieri sibi maritum exposcere; sed cui parentes voluerint (excepto raptore) eam legitimo copulent matrimonio, quoniam nullo modo, nulloque tempore datur a nostra serenitate licentia eis consentire, qui hostili more in nostra republica student matrimonio sibi conjugere, oportet enim, ut quicumque uxorem ducere voluerit sive ingenuam, sive libertinam, secundum nostras leges, et antiquam consuetudinem parentes, vel alios, quos decet, petat, ut cum eorum voluntate fiat legitimum conjugium. Poenas autem, quas praediximus, idest mortis, et bonorum amissionis uon tantum adversus raptores, sed etiam coutra eos, qui hos comitati in ipsa invasione, et rapina fuerint, constituimus: ceteros autem omnes, qui conscii, et ministri reperti, et convicti fuerint, vel qui eos susceperint, vel quicumque opem eis tulerint sive masculi, sive foeminae sint cujuscnmque conditionis, vel gradus, vel dignitatis poenae tantummodo capitali subjicimus. Si enim ipsi raptores metu, vel atrocitate poenae ab huiusmodi facinore se temperaverint, nulli mulierum sive volenti, sive nolenti peccati locus relinquetur, quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam; inducitur, nisi etenim eam* sol-

(1) L. 1. Cod. de rapt.

sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus se prodere.

Denique Imperator Carolus Magnus sexto capitularium libro sic statuit, *Si quis alterius sponsam, virginem, viduam, necdum desponsatam rapuerit, vel furatus fuerit; placuit, ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, sive cum parentum ejus voluntate quocumque commento ipsam acceperit, vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat*, tum septimo capitularium libro haec decernit. *Qui rapiunt foeminas, vel furantur, vel seducunt eas nullatenus habeant uxores.*

Sapientissimas hasce Imperatorum de mulierum raptu leges, quae fere obsoleverant, expresso Principum, ac ipsius Imperatoris assensu, atque rogatu concilium Tridentinum renovavit, atque instauravit.

Sed iterum in arenam descendit Vajus raptumque in dirimens matrimonii impedimentum institutum ab apostolico illo canone fuisse somniat, qui sic se habet. *Si quis virginem non desponsatam per vim ablatam deducit, excommunicetur: ipsi autem non liceat aliam accipere, sed illam, quam elegit, etiamsi paupercula sit.* At ex quonam canonis verbo, mi sodes, dirimens *raptus* impedimentum conficiendum putas? nunquid ex inflicta raptori excommunicationis poena? At quomodo severissima hujusmodi poena, qua ex ipso Christi oraculo perditissimi, sceleratissimique homines ab universo christianorum commercio prohibentur, solisque spiritualibus bonis privantur, eam quoque, quae ab ipsius institutione adeo abhorret, vim habere poterit, ut humana, ac civilia conventa dirimat, atque dissolvat. Sapientissimum a Christo rerum sancitum ordinem turbare, et sacra miscere profanis non sentis?

sentis? Praeterea quomodo dirimens raptus impedimentum ab hujusmodi apostolico canone statutum venditas, si e contrario praecipitur raptoris cum rapta conjugium? *Ipsi autem non liceat aliam accipere, sed illam, quam elegit, etiamsi paupercula sit*. O inane igitur, novumque commentum! Explorata igitur earum, quibus nunc utimur, dirimentium matrimonia legum historia patet, vel omnes suum a civili potestate, et christianis Imperatoribus duxisse principium. Quare tum gravissimis rationum momentis, tum certissimis rerum factis satis, superque colligitur, dirimentium connubia legum ferendi jus ad Principes, Regesque solum, non ad Ecclesiam, Romanosque Pontifices pertinere, quod unum demonstrandum suscepimus.

Verum non ego prius de tabula manum tollam, quam animadverterim, quod et si nonnullae, quas adduximus, leges aliquod matrimonium dumtaxat prohibeant, illud tamen irritum, ac cassum efficitur, licet plane non declaraverint infectum esse debere conjugium, quod factum est. Hoc enim edixerunt Imperatores Theodosius, et Valentinianus, qui sic Florentio Praefecto Praetorio rescripsere. (1) *Non dubium in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quam novellas trahi generaliter imperamus, ut Legislator quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, ceteraque quasi expressa ex legis liceat vo-*

(1) L. 5. Cod. de legib.

luntate colligere, hoc est, ut ea, quae lege fieri probibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam babeantur, licet legislator fieri probibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. Sed et si quid subsecutum fuerit ex eo, vel ob id quod intercedente lege factum est, illud quoque cassum, atque inutile esse praecipimus.

Sic quoque cautum ab Justiniano fuit. (1) *Si adversus ea, quae diximus, aliqui cojerint, nec vir, nec uxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligitur.*

Quae quidem adnotanda putavimus, ut omnis tergiversandi tolleretur occasio.

(1) §. 12. Inst. de nupt.



CAP. XIII.



CAP. XIII.

In quo statuitur, ad quos pertineat in vetitis matrimonii gradibus veniam dare, quibus gradibus, quibusque caussis haec juste recteque concedi possit.

ANtequam vero ad caussam adgrediar, quiddam de hujusmodi veniae notione quae vulgo *dispensatio* vocatur, breviter dicendum videtur. Haec igitur definiri solet: *juris relaxatio ab eo, qui habet legitimam potestatem, ex justa caussa facta*. Differt a *legis abrogatione*, quae nil aliud est quam totam legem infirmare, ac tollere, differt a *derogatione*, quae in aliqua illius parte infirmanda, sive detrahenda consistit, differt a *legis obrogatione*, quod est aliquid mutare ex prima lege, sive, ut Tullius ait, aliqua ex parte commutare, differt a *subrogatione*, quae fit, ubi antiquae legi aliquid adjicitur, atque subjungitur. Venia contra, seu *dispensatio* certas tantum statasque personas a legis vinculo eximit, eadem manente quod ad alios lege. Hisce igitur perlustratis inspiciendum cum primis est, ad quos Principesne scilicet, an ad Ecclesiam, Pontificesque pertineat vetitarum nuptiarum veniam dare. Verum si Principum, Re-

Regumque, non autem Ecclesiae, ac Pontificum proprium est dirimentes matrimonium leges constituere, si eas, quibus nunc utimur, dirimentes matrimonium leges revera tulerunt Principes, atque Imperatores apprime consequitur, ut easdem leges solvere, veniamque impertiri non ad Ecclesiam, Pontificesque, sed ad Principes, Regesque unice pertineat. Cujus enim est legem condere, illius est solvere. Rationi facta respondent. Vetustissima namque historiarum monumenta versantibus facile occurrit, fuisse in more positum, institutoque majorum, ut a Principibus, atque Imperatoribus injustorum conjugiorum venia tribueretur. Herodotus in Erato narrat, illud apud Lacedaemones jus fuisse, ut Princeps de virgine, ejusque sponso suis rescriptis statueret. Vetus Romanorum Respublica dirimentia matrimonium impedimenta remittebat, illique integrum erat, injustarum nuptiarum gratiam facere. Quod certe Senatusconsulto factum fuisse tradit Livius, (1) quo Hispalae Feceniae libertinae indultum fuit, ut quia Bacchanalia indicasset, ingenuo nubere liceret, neu quid ei, qui eam duxisset, ob id fraudi, ignominiaeve esset. Postea vero Principes, ad quos omnia populi jura manarunt, omnem sibi vetitorum conjugiorum indulgentiam vindicarunt. Sic senator libertinam, tutor, vel curator pupillam interveniente Principis rescripto ducebant. (2) Hoc quoque clarissimus Symmachus, qui sub Theodosio, ac filiis floruit, aperte declarat his verbis. (3) *Per amicum communem Gauden-*

(1) Lib. 39. cap. 19.

(2) L. 31. ff. de rel. nupt. L. penult. cod. de interd. matrim. int. pup. et tut.

(3) Lib. 10. epist. 11.

tium propinqui mei Valentini preciculas misi, sane ad fidem meam, et conscientiam pertinentes. Nam frater ejus Boserius, cum premeretur extremis, et praesentem me, et per epistolam summis precibus obsecravit, ut impetrata sacri auctoritate rescripti, filia ejus fratris sui filio copuletur, quod multis esse concessum manifesta testantur exempla. Quare piae supplicationi adjumentum meum negare non possum, quoniam fidem meam super his nuptiis voluntas propinqui morientis adstrinxit, ut epistola precibus connexa declarat. Id etiam constat ex Honorii, et Theodosiii lege ann. 401. Ravennae lata, in qua ab Imperatoribus edicitur, quibus, et qua ratione velint ineundi in vetitis gradibus matrimonii veniam concedere. Huic legi, quae in Theodosiano extat codice, titulus est: *Si nuptiae ex rescripto petantur*, et ea sic se habet: *Quidam vetusto juris ordine praetermisso, obreptione precum nuptias, quas pro se intelligunt non mereri, de nobis aestimant postulandas, se habere puellae consensum confingentes: Quapropter tale sponsaliorum genus praesentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem, nuptias precum subreptione meruerit, amissionem bonorum, et poenam deportationis subiturum se esse non ambigat. Et amisso jure matrimonii, quod probibita usurpatione meruerit, filios se juste hac ratione susceptos non habiturum, nec unquam postulatae indulgentiae adnotationisve Principis indulto efficacem se veniae effectum meruisse. Exceptis his, quos consobrinorum, hoc est quarti gradus conjunctionem, lex triumphalis memoriae, patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetuit ec.*

Ve-

Veterem formulam, qua injustarum nuptiarum venia a Principibus concedebatur, nobis servavit Cassiodorus Theoderici Regis Cancellarius, quam integram referre lubet. (1) *Institutio divinarum legum, eit verba formulae, humano juri ministrat exordium, quando in illis capitibus legitur praeceptum, quae duabus tabulis probantur adscripta. Sacer enim Moses, divina institutione formatus, Israelitico Populo inter alia definivit, ut consobrinos suos a vicinitate pii sanguinis abstinerent: ne et se in proximitatem redeundo, polluerent, et dilationem providam in genus extraneum non haberent. Hoc prudentes viri sequentes exemplum, longius publicam observantiam posteris transmiserunt: reservantes Principi tantum beneficium, consobrinis nuptiali copulatione jungendis. Intelligentes rarius posse praesumi, quod a Principe jusserant postulari: Admiramur inventum, et temperiem rerum stupenda consideratione laudamus, hoc ad Principis fuisse remissum judicium, ut qui populorum mores regebat, ipse et moderata concupiscentiae fraena laxaret. Et ideo supplicationum tuarum tenore permoti, si tibi illa tantum consobrini sanguinis vicinitate conjungitur, nec alio gradu proximior adprobaris, matrimonio tuo decernimus esse sociandam, nullamque nobis exinde jubemus fieri quaestionem, quando et leges nostra permitti voluntate consentiunt, et vota vestra praesentis auctoritatis beneficio firmaverunt. Erunt vobis itaque, Deo favente, posteri solemniter haeredes, castum matrimonium, gloriosa permixtio, quando quicquid a nobis fieri praecipitur, necesse est, ut non culpis, sed laudibus applicetur.*

(1) Lib. 7. var. 46.

Locupletiſſimum quoque nobis exemplum ſuppeditat Flodoardus (1) quo tum dirimentia matrimonium impedimenta ſanciendi, tum eadem remittendi poteſtas Principibus Romanis, ipſis fatentibus Epiſcopis, aſſeritur. Balduinus namque Comes Judith Caroli Calvi filiam praeter paternum ipſius Caroli conſenſum, ſine quo filiorumfamilias matrimonia penes Gallos irrita decernebantur, uxorem duxit. At civiles judices, ipſo rogante Carolo, matrimonium illud pronunciarunt infectum, Epiſcopi vero ſpiritualibus inflictis poenis improbarunt, atque damnarunt. Ex quo factum eſt, ut Balduinus ad Pontificem Nicolaum I. confugerit, qui hujuſmodi inſciente patre initi conjugii veniam daret. Votis, ut aequum erat, obſtitit Pontifex, eumque, tantam deteſtatus temeritatem, dimiſit. Tandem iteratis precibus victus datis ad Carolum literis rogat, ut irritum Balduini, atque Judith matrimonium ratum, juſtumque decernere vellet, apprime noſſe, quod ipſe talis connubii gratiam poſset facere. Humaniſsimis Pontificis precibus annuit Carolus, remiſſaque dirimentium nuptias haſce legum auctoritate, juſtum cum Judith matrimonium ineundi pateſtatem Balduino fecit. En Nicolai I. ad Carolum epiſtola. *Balduinum qui natam veſtram ſibi furto contra fas ſociavit, quem ideo venerandi Praeſules Eccleſiam in regno veſtro gubernantes vinculis anathematis obligarunt, ad limina Apoſtolorum acceſsiſse, ut a vinculis ſolveretur, atque per nos gratiam inveniret, ſedem adiiſse Apoſtolicam. Nos autem non ſolum eum a vinculis minime abſolvimus, aut in communione noſtra recepimus, ſed potius tam praeſumptuoſam temeritatem*

(1) Lib. 3. hiſt. Remenſ.

tatem detestati sumus. Verum quoniam ad divina se praesidia contulit, amatorumque Petri, et Pauli Apostolorum Principum sibimet expetiit adfore subsidia, non potuimus omittere, quominus vestram gratiam perciperet, apud excellentiam vestram interveniremus. Verum vestram in omnibus prae oculis habentes dilectionem, quamquam sciamus, et filiam vestram, si libet posse vos ei legaliter in uxorem dimittere, et pietatis vestrae gratiam impertiri: tamen non jussa misimus, sed preces obtulimus.

Hanc vero Hincmarus Regis nomine Nicolao scripsit epistolam: *Balduinus, et Judith jura legum saecularium, quae elegerunt, exequi studuerunt. Dominus enim noster Rex filius vester huic desponsationi, et conjunctioni interesse non voluit; sed missis publicae rei ministris, sicut promisit, secundum leges eos uxoria conjunctione ad invicem copulari permisit, et honores Balduino pro vestra solummodo petitione donavit.*

Ex quo satis abunde constat, non solum Pontificem regiam in concedenda vetiti matrimonii venia potestatem agnovisse, sed tanto Gallicanum Regem habuisse in pretio, ut eam, quam Rex ipse denegaverat, veniam, nunquam et optimo quidem jure impertiri vellet. Non ita profecto cum Magno Etruriae Duce Petro Leopoldo Principe Nostro Sanctissimo in re non adeo dissimili nuper se gessit Romana curia. Antonius Joseph Picciollius Pistoriensis cum defuncti fratris uxorem, quae quatuor jam susceperat filios conjugio sibi sociare vellet, Principi preces obtulit, ut hujusmodi injustarum nuptiarum indulgentiam sibi tribueret. Verum sapientissimus Princeps referente Pistoriensi, ac Pratensi Episcopo Scipione

 Riccio,

Riccio, acerrimo illo ecclesiasticae veteris disciplinae vindice, ac restitutore, nec non ad Pistoriensis, et Pratensis Ecclesiae bonum divinitus nobis dato, nullum veniae locum esse pronunciavit. Ast quid non mortalia cogis pectora caecus amor! impotens ille juvenis rogante nescio quo sacra redimito infula viro, misericordia, sicut ipse jactitabat, ducto perinde, ac si adversus expressam Principis voluntatem agere pium esset, insperatam hujusmodi matrimonii veniam a Romanae sedis ministris impetrat. Quam quidem exequendam jure meritoque negavit sapientissimus Princeps, qui praecipuarum, quas a majoribus accepit, legum cultor, et vindex est, qui sacrorum canonum civiles ejusmodi leges anathemate communientium adsertor, et cultor haberi, vereque dici potest. Ast o rem saeculis omnibus inauditam, ipsa romana curia, Picciollio, ac defuncti fratris uxori Romam profectis inauspicatam illam, quam bis denegaverat Princeps, nuptiarum veniam impertitur, incestoque, quo adhuc infelicissimi polluuntur, matrimonio jungit. Verum, unde dilapsa est, eo revertatur oratio.

Ludovicus Romanorum Imperator postquam contractum inter Joannem Regis Bohemiae filium, qui perpetuo impotentiae laborabat impedimento, et Margaretam Karintiae dominam, matrimonium dissolvit, Margaretae facultatem dedit, ut Carolo Marchioni Brandeburgensi consobrino suo nuberet. Quamvis autem ea, quibus hujusmodi veniae formula continetur, in longius ducta sint verba, hic tamen integram utpote quae ad instituti nostri rationem pertinet,

net, adducere non pigebit. (1) *Nos Ludovicus IV. Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, universis Christi fidelibus, quorum interest, aut poterit interesse, notum esse volumus, et facimus per seriem infrascriptam, quod in nostra praesentia personaliter constituti illustres Ludovicus Marchio Brandeburgensis, et Margareta Ducissa Karintiae, ac Tyrolis Comitissa, post habitum ipsorum maturum, ac deliberatum consilium, animum, atque actualem voluntatem habentes se invicem in matrimonio legitime copulandi: dubitante tamen praefato Ludovico; et Margareta, ne aliquo gradu adfinitatis sanguinis; tale conjugium sive matrimonium humanarum legum, aut Romanorum Principum statuto, decreto, vel ordinatione alia quomodo libet appellata, impedimentum aliquod pateretur: supplicaverunt, ac petiverunt instanter, tale impedimentum consanguinitatis, si quod inter ipsos adfuerit, vel adesset, per dispensationem nostram relaxari, ac per nostram auctoritatem, atque sententiam totaliter amoveri. Nos vero PROPTER COMMUNEM, ET EVIDENTEM REIPUBLICAE UTILITATEM MANIFESTE VISAM SEQUI, ad conjugium supradictum, praefatum impedimentum sanguinis, si quod inter ipsos adesset, judicamus esse tollendum, et simpliciter amovendum. Cum gradus adfinitatis sanguinis, praesertim infra sorores, et fratres, matrimonium non impediat, divinae seu christianae legis statuto aliquo, vel praecepto, quemadmodum certitudinaliter novimus tam per eos, quam per supradictae legis divinae idoneos, ac probatos doctores, idque etiam asserente beato Augustino libro XV. de Civitate cap. XVI. dum*

 de

(1) Bzov. tom. 7. ad ann. 1340. n. 8.

de talibus adsinitatis sanguinis gradibus tractans inquit, quod hoc videtur matrimonium licitum fieri inter adfines, et consanguineos, nec lex divina probibuit, et nondum prohibuerat lex humana. Quibus siquidem verbis duas sententias expressit Augustinus: unam videlicet supradictam, quod lege divina legitimum matrimonium fieri non est prohibitum inter personas sanguinis adfinitate conjunctas. Secundam vero sententiam scire fecit; videlicet, quod talis prohibitio matrimonii inter consanguineos fieri debeat auctoritate legislatoris humani, aut ejus principantis, supremi Principis Romanorum. Idem quoque concedere, atque fateri convenit, Romanum Episcopum, Papam vocatum, cum suorum clericorum coetu, quos Cardinales appellant, veritate cogente. Nam praefatus Papa Romanus super impedimento adfinitatis sanguinis per dispensationem tollendo a sanguinis adfinitate conjunctis, invicemque matrimonium contrahentibus, ad suam auctoritatem asserit pertinere, ac in talibus matrimoniis pluries dispensaverunt de facto praeteriti quidam Pontifices Romanorum. Quod si talis gradus adfinitatis sanguinis matrimonium legitimum impediret legis divinae, seu Christianae praecepto, non posset aliquis hominum, quin imo neque Angelus de coelo dictum impedimentum per dispensationem aliquo modo amovere, hoc Christo testante. Facilius est coelum, et terram transire, quam unum apicem a lege cadere. Rursusque idem Dominus dixit: coelum, et terra transibunt, verba autem mea permanebunt in aeternum. Ex quibus manifeste apparet, ac fateri cogitur Romanus Episcopus, et per factum confirmatur ipsius, quod gradus adfinitatis sanguinis

non

non impediet matrimonium fieri legis divinae, vel christianae praecepto: et quod si gradus adfinitatis sanguinis quamquam licitum matrimonium impediat fieri, hoc totum factum esset praecepto, sive statuto legis humanae; de cujus siquidem legis praeceptis, sive statutis dispensare solummodo pertinet ad auctoritatem Imperatoris, seu Principis Romanorum. Nec obstat dicere, praefata matrimonia esse probibita lege divina, quia mali moris sunt: et propterea etiam peccata mortalia fore probibita, ac proinde obligantia contrahentes ad damnationem aeternam: et contrariam dispensationem in his ad ministrum solummodo ecclesiasticum, Episcopum, sive praesbiterum pertinere. Hic enim sermo rethoricus, sive apparens, sophisticus est: falsum namque recipit, quoniam praefata matrimonia non sunt mali moris praesertim in aliquo casu nam et ipsa, tamquam in casu licita, fieri concedit Romanus Episcopus. Nec etiam rursus mali moris sunt absolute loquendo, quoniam non sunt cum malitia convoluta confestim, veluti furtum, et crimina reliqua, et propterea nec sunt lege divina probibita, quemadmodum dixit beatus Augustinus. Non syllogizatur autem, neque concluditur propterea, dispensationem de talibus ad Episcopum quemquam, sive presbyterum pertinere. Esto quod sint absolute probibita lege divina, et sub poena damnationis aeternae. Quoniam de his probibitis nullus hominum, quin imo nec Angelus de coelo, dispensare posset, vel ordinare, sive concedere quod licite fierent, ut deductum est supra. Unde etiam juxta praedicta, de praeceptis sacrae scripturae, sive mandatis loquens Apostolus inquit: et si Angelus de coelo evan-

ge-

galizaret vobis aliud praeter id, ideſt contra id, quod evangelizatum eſt a nobis, anathema ſit. Rurſus, quoniam praefata matrimonia non fuerunt mali moris; neque prohibita ſecundum legem veterem, quamvis aliquando peccata fiant, ſive fuerunt in antiqua lege, non quod ſunt abſolute, ſive confeſtim cum malitia convoluta, neque mali moris, ſed ſolummodo; quod lege prohibita fuerant: veluti carnes porcinas, et beſtias non ruminantes comedere quod ideo peccatum effectum eſt, quia probibitum fuerat in lege moſaica; non tamen propter malum, aut mali moris ex ſe, quemadmodum furtum, homicidium, falſum teſtimonium, et hujuſmodi reliqua, quae probibita ſunt legibus divinis, et humanis, et quod ex ſe mala ſunt, et mali moris confeſtim cum malitia convoluta. Ex his igitur omnibus jam praedictis manifeſte apparet cuilibet non corrupto ignorantia, vel malitia, vel utraque; auctoritatem diſpenſandi, atque tollendi a matrimonio impedimentum inter perſonas, et a perſonis ſanguinis adfinitate conjunctis, ad Romanum Principem pertinere. Propter quod nos Ludovicus IV. Romanorum Imperator Auguſtus praefatum adfinitatis ſanguinis impedimentum, ſi quod eſſet inter praefatos Ludovicum, et Margaretham, quominus poſſent, aut prohiberentur per humanae legis, aut Romanorum Principum ſtatuta, ſeu decreta, vel alias ordinationes quomodolibet appellatas, in matrimonio copulari, tollimus, et per noſtram auctoritatem, atque ſententiam tenore praeſentium totaliter amovemus. Concedentem eiſdem, ac cuilibet ipſorum, ut abſque offenſa cujuslibet juris humani, ſtatuti, vel ordinationis alterius quomodolibet nominatorum licite ſe poſſint,

sint, ut valeant in matrimonio copulari. Absolventes etiam eosdem, ipsorumqae legitimos filios, et filias, haeredes nunc, et in perpetuum a poena qualibet reali, personali, et infamiae, et alia quavis quomodolibet nominata, siqua foret imposita contrahentibus matrimonium infra consanguinitatis gradus aliquos nominatos per quemquam Principem, Romanum etiam, vel per leges, aut communitatem aliquam, collegium, vel singularem personam, cujuscumque auctoritatis, vel dignitatis existant. Quibus omnibus, et singulis, et a quibus excipimus casum praedictum, de praefatis videlicet personis, Ludovicum, et Margaretham jam dictos, et in quantum huic nostro rescripto sive dispositioni, et concessioni nostrae contradicunt, totaliter, aut in parte per hoc ipsum praesens nostrum rescriptum derogamus, et volumus derogari, eodem nihilominus semper in suo robore duraturo.

Potuit ne Imperator explicatius, nervosius, ac magnificentius loqui? Ex locupletissimis igitur rationum momentis, ac certissima factorum serie colligitur suprema Regum in concedenda injustarum nuptiarum venia potestas. Non igitur Ecclesiae, non Romanorum Pontificum, non Episcoporum, sed Principum, Regumque est dirimentium mattimonia legum auctoritatem remittere, exoratamque in vetitis conjugii gradibus veniam tribuere eo prorsus modo, quo dirimentes matrimonium leges condere ad Principem, non ad Ecclesiam, ac Pontifices pertinere superius demonstravimus.

Profecto non solum superioribus temporibus, sed nec undecimo quidem vertente saeculo re-

ceptum

ceptum more fuisse tradit Joannes Mariana (1) ut Pontifices in vetitis matrimonii gradibus veniam darent. Primum ex Romanis Pontificibus qui illicitarum nuptiarum veniam concessit, Innocentium tertium fuisse memorat Lupus cum illa anteactis temporibus ex solo Principum rescripto imperraretur. Imperator scilicet Otho IV. cum Philippi Regis filiam consanguineam suam ducere vellet, ad Innocentium tertium confugit, qui optati matrimonii veniam tribueret. Neque vero in animum sibi quisque suum inducat, ut ex eo, quod Imperator hujusmodi conjugii indulgentiam a Pontifice exoraverit, confici possit, hanc in vetitis matrimonii gradibus dandae veniae potestatem ad forum Ecclesiasticum vel ex ipsa Imperatoris sententia pertinere. Imperator namque Pontificem expresso unice delegavit assensu, qui pensata bene re, sinceroque instituto judicio prohibitarum nuptiarum veniam concederet. Et sane impedimenta, quae matrimonium dirimunt in civilem conventionem, quae ad Principes unice pertinet, cadere superius demonstravimus. Hujusmodi ergo consanguinitatis impedimentum nunquam jure proprio remittere poterat Innocentius, qui nullum vel a natura, vel a Deo in civilia pacta jus habuit, nisi tacitus, expressusve Imperatoris, qui civilium omnium conventionum moderator, atque arbiter naturali, divinoque jure constitutus est, assensus accessisset. Sic et Philippus Gallorum Rex eumdem Innocentium tertium adivit, ut liberos suos legitimos faceret. Verum quis inde conclu-

(1) Lib. 10. hist. cap. 8.

cluderet, Gallicanum Regem agnovisse ecclesiasticam in legitimandis liberis potestatem, aut legitimationem ad pontificium forum pertinere, cum Philippus, ut ipse fatetur Innocentius, (1) qui in civilibus negociis superiorem agnoscebat omnino neminem, jurisdictioni Romani Pontificis arbitratu suo subjecit ipse se, eamque, quam jure regio liberis suis natalium veniam tribuere poterat, ab Innocentio imploravit? *Insuper*, inquit Pontifex, *cum Rex ipse superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine juris alterius laesione in eo se jurisdictioni nostrae subjicere potuit, et subjecit*. Sic Constantinus Magnus servos manumittendi potestatem Ecclesiae, atque Episcopis concessit, ex quo factum est, ut plura concilia plures de manumissione canones ediderint; at quis ex eo, quod Constantinus ipse civilem servos manumittendi provinciam Episcopis dederit, conficiendum putaret, Constantinum ipsum aut legitimam in manumittendo Ecclesiae auctoritatem agnovisse, aut Ecclesiam jure proprio quaesitam manumittendi habere potestatem? Maneat igitur, quod Imperator Otho expresso Innocentium Pontificem delegavit assensu ad hoc, ut cognita incesti conjugii veniam impertiret absque eo, quod inde pro statuenda in remittendis dirimentibus matrimonium impedimentis Ecclesiae, ac Pontificum potestate argumentum concludi possit ea prorsus ratione, qua ecclesiastica in legitimandis liberis, et manumittendis servis potestas erui nequit, ex quo Philippus Galliarum Rex natalium veniam ab Innocentio imploravit, et Constantinus Magnus servos

vos

(1) Cap. per Venerabilem qui sint legit. fil.

vos manumittendi potestatem Ecclesiae, atque Episcopis vindicavit.

Primus igitur ex Romanis Pontificibus Innocentius tertius fuit, qui expressa tamen Imperatoris delegatione usus injustarum nuptiarum veniam concessit, quae quidem delegatio tacito subinde aliorum Principum, ac Imperatorum firmata consensu in caeteros Pontifices manavit. Nonnulli, fateor, vel superioribus temporibus extitere Pontifices, qui vititi matrimonii impertiti sunt veniam, *at hae omnes fuerunt*, sicut eruditissimus advertit Lupus, *non praeviae ad contrahendum, sed dumtaxat posteriores male contracti matrimonii toleratrices dispensationes*.

Hisce ita constitutis sequitur, ut quibus dirimentibus matrimonium impedimentis, quibusque vetitis gradibus venia concedi possit a Principe, dispiciamus. Cujus est legem condere, illius est solvere, ergo Principes, atque Imperatores ea omnia dirimentia matrimonium impedimenta, quae ab ipsis constituta sunt, et ad civilem potestatem pertinent, remittere possunt exceptis iis, quae tum naturali, tum divino jure invecta sunt. Ex quibus breviter perlustratis distinctionibus consequitur, quod Princeps exceptis solum iis impedimentis quae *ab errore*; ac *vi* consensum excludente, *ligamine*, *impotentia perpetua*, *et linea recta cognationis* proficiscuntur, quaeque naturali, ac divina lege inducta sunt, contrahendi in ceteris vetitis gradibus matrimonii veniam impertiri possit. Hinc fit, ut ex benigno Principis rescripto tam in primo, quam in secundo lineae collateralis

sive

ſive rectae, ſive obliquae cognationis gradu, nec non in linea recta adfinitatis, eoque magis in linea collaterali etiam in primo gradu matrimonia recte, juſteque ineuntur. Itaque, Principe dante, ſorores fratribus, fratris, vel ſororis filiae patruis, amitae nepotibus, conſobrinae conſobrinis, neptes avunculis rite, recteque nubunt. Sic impetrata Principis venia ſocer nurum, gener ſocrum, vitricus privignam, privignus novercam ducit, quod eo magis in tranſverſa adfinitatis linea dictum volumus, ut nempe frater defuncti fratris uxorem, et vir defunctae uxoris ſororem ducat. Sic et illarum nuptiarum, quae ob impedimentum *conditionis legalis*, *et ſpiritualis cognationis*, *criminis*, *cultus diſparitatis*, *publicae honeſtatis*, defectum *Parochi*, *et duplicis teſtis*, *raptus mulierum* dirimuntur, veniam dabit Princeps. Sic denique ſanctimoniales, monachi, qui voto detinentur, ſic et ſacerdotes, accedente Principis reſcripto juſtas nuptias contrahere poterunt.

Quibus certe diſputatis ſupereſt, ut cauſae, quibus injuſtarum nuptiarum veniam juſte recteque concedere valeat Princeps, evolvantur. Revera quae a ſuprema Principis majeſtate leges feruntur non omnium temporum rationem praecipere poſsunt. Quare Princeps ipſe, qui legum cuſtos eſt propoſita temporum varietate, diverſaque perſonarum conditione modo legibus ipſis laxamentum dare, modo eas ad unguem obſervandas, retinendaſque curare debet. Quoniam vero dirimentes matrimonium leges, quas Principes conſtituerunt, et ſpiritualibus ipſa poenis munivit Eccleſia eo ſpectant, ut communis Rei-

pu-

publicae utilitas augeatur, atque amplificetur, nemo non intelligit, quod legislator in hujusmodi relaxandis legibus publicam illam, propositam sibi habere debet quae legum omnium fundamentum est, utilitatem. Quo enim majora, ac graviora ad publicam comparandam felicitatem in lege momenta sunt eo major utilitas, ac gravior necessitas requiritur, ut laxamentum legibus dari possit. Igitur dirimentium matrimonia legum venia honeste recteque dabitur, dum pensata bene re, nullus erit dubitationi locus majorem in Rempublicam utilitatem, si legibus hisce laxamentum detur, quam si denegetur, obventurum. Quare gravissimae illae causae, quibus unice motus justam in vetitis matrimonii gradibus veniam impertiri potest legislator ad publicam utilitatem, atque necessitatem referri debent, secus enim nec justa, neque honesta, sed injusta, atque irrita venia dicetur. Quod quidem luculentissimis Patrum, et Conciliorum auctoritatibus evidentissime confirmatur. *Ubi necessitas urget*, inquit D. Bernardus (1) *excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est*. Unus autem instar omnium sit divus Thomas, qui sic disserit. (2) *Ille qui habet regere multitudinem habet potestatem dispensandi in lege humana, quae suae auctoritati innititur. Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuit, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune, imprudens autem*

si ra-

(1) Lib. 2. de considerat. cap. 4.

(2) Quaest. 97. art. 4.

si rationem dispensandi ignoret et alibi. *Quando cum aliquo dispensatur, ut legem communem non servet, non debet fieri in praejudicium boni communis, sed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat*. Quid quod celeberrima novemviralis congregatio ab ipso summo Pontifice Paulo III. instituta hoc ipsum conceptis verbis declarat? Sic namque Cardinalis Contarenus sapientia, ac pietate praestantissimus, qui ejusmodi congregationi praefuit, atque interfuit, alloquutus Pontificem est. *Illud vero ante omnia beatissime Pater, putamus statuendum esse, ut docet Aristoteles in politicis; sicut in unaquaque republica, ita etiam in hac ecclesiastica gubernatione Ecclesiae Christi hanc prae omnibus legem habendam, ut quantum fieri potest, leges serventur, nec putemus nobis licere dispensare in legibus nisi urgente de causa, et necessaria. Nulla namque perniciosior consuetudo in quavis republica induci potest, quam haec legum inobservantia, quo sanctas majores nostri esse voluerunt. Scis tu haec omnia optime* Pontifex, *legisti jampridem apud philosophos, et theologos; illud vero non tantum huic proximum, sed prius, et potius superiore putamus non licere Pontifici, et Christi Vicario lucrum aliquod comparare*. Huc quoque referenda sunt, quae Tridentini Patres sessione decimaquinta capite decimoctavo decreverunt.... *Quod si urgens, justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse id causa cognita, ac summa maturitate praestandum erit, aliterque facta dispensatio subreptitia erit*. Ex quibus omnibus apertissime colligitur, publicam, non privatam utilitatem, gravissimamque, quae eodem recidit,

necessitatem requiri, ut justa in vetitis matrimonii gradibus venia concedi possit. Quod certe locupletissimo Innocentii III. facto, cui Pontificum omnium primo, ut superius innuimus, hujusmodi dandae veniae delegata provincia fuit, manifestissime comprobatur. Gravissimum tunc temporis bellum Ottonem inter, et Philippum Hispaniae Regem flagrabat, quo universa Germania vehementissime affligebatur. Quid enim populatos agros memorem, quid humano pingues sanguine glebas, quid direptas urbes, quid sacras, incendio deletas aedes, quid avulsos materno pectore natos, quid matronas, puellasque ad libidinem abductas, quid plurimam mortis imaginem undequaque bacchantem, quid insepulta corpora civium proprio cruore natantium, quid funera, quid clades; omnia *infantium*, ac feminarum ejulatu, morientium gemitu personant, omnia armis, sanguine, immensis cadaverum acervis, terrore, luctu complentur. Teterrimum, funestissimumque componere bellum, tot, tantisque mederi malis, atque calamitatibus una potest Philippi Regis jam defuncti filia superstes, quae Ottoni nubens tum animos, tum hereditaria simul jura conjungeret. Sed quintus cognationis gradus obstabat, quominus tam aptum, afflictisque reipublicae temporibus consentaneum posset iniri matrimonium. Res ad Innocentium III., ut supra diximus, delata est, qui judicis personam gerens diligenter, penitusque rem cognosceret atque hujusmodi nuptiarum veniam daret. At Pontifex rei novitate perculsus illique imponendum sibi vulnus esse legi graviter ferens, qua publica utilitate inspecta ejusmodi connubia dirimebantur,

qua-

quaque nonnullae ecclesiasticae sanctiones nitebantur, hanc denegandam veniam existimavit. Verum hinc civili undans Germania sanguine, hinc miseris regni proceres foedati cladibus, hinc fusis Episcopi, ac Sacerdotes lacrymis, hinc flexo Legati Pontificii genu supplices ad Innocentium manus tendunt, fidem implorant, misericordiam obtestantur, ut hujusmodi matrimonii, unde universa reipublicae pax, ac salus pendebat, veniam impertiretur. Tandem gravissimis, justissimisque utilitatis, ac necessitatis causis impulsus Pontifex universae Germaniae votis annuit, veniamque matrimonii dedit ea tamen lege, ut Otho amplissimis duobus fundatis monasteriis ingentique in pauperes erogata pecuniae vi, impositum sanctissimae superiorum Principum legi ecclesiasticisque munitae poenis vulnus sanaret. Tanta profecto antiquioribus temporibus dirimentibus matrimonia legibus auctoritas, ac sanctitas erat, ut vix, ac ne vix quidem ad horrendissima extinguenda bella laxamentum iis daretur! Quidquod et ipse Ludovicus Imperator, ut supra vidimus cum Margaretae Carolo Marchioni Brandeburgensi nubendi facultatem fecit *communem, et evidentem reipublicae utilitatem* propositam habere professus est? Ast, proh dolor, quantum a perutili, ac sanctissima hujusmodi disciplina, atque institutione descitum est! Non amplius necessitas, non evidens reipublicae utilitas, non boni communis ratio, sed magna auri, argentique vis, sed ardentissima potentissimorum, ac factiosorum hominum studia, favor, et gratia necessariae, ac gravissimae habentur causae, cur sapientissimae illae, quas inspecta universae reipublicae utilitate Chri-

ſtiani quondam tulerunt Principes, atque Imperatores, et ſancta firmavit Eccleſia, leges remittantur. Nunquidne legum relaxatio fodina eſt, unde pecuniae hauriri debeant? Nunquid tam utiles, tam neceſſariae, tam ſanctae leges ob eam conditae ſunt cauſam, ut earum relaxatione miniſtri alantur, atque ſuſtententur? Quare meritis in coelum laudibus efferendus eſt Pius Sextus, qui ea in remittendis dirimentibus matrimonium legibus Principum delegatione adeo ſapienter, ac prudenter utitur, ut caverit, ſicut recens fama tulit, ne romanae curiae miniſtri aliquid pecuniae in venia nuptiarum danda recipiant. Id certe unum reſtat, ut eadem pontificia curia, quae ſolo Principum conſenſu in connubialem pactionem auctoritatem habet, non partium favore, non ſtudio, non factione, non exquiſitis aliorum commendationibus, ſed ſola reipublice utilitate, graviſſimaque neceſſitate adducta vetitarum nuptiarum gratiam faciat. Verum quanto rectius, quanto publico civium bono conducibilius foret, ſi Principes, atque Reges eam, quam Pontificibus delegarunt, concedendae in vetitis matrimonii gradibus veniae poteſtatem, ſibi iterum aſſumerent, atque vindicarent civilibuſque magiſtratibus, vel ſubditis ſibi Epiſcopis permitterent, qui ſevero inſtituto judicio cognoſcerent, an illae conditiones accederent, quae ad juſtam illicitarum nuptiarum veniam requiruntur! Quid enim abſurdius, ac reipublicae bono pernicioſius dici, aut exiſtimari poſſet, quamquod pupillus, minor, et mulier ad romanam mitterentur curiam, ut ab ipſa donandi, vendendi, aliaſque faciendi pactiones veniam impetrarent? At nonne ideo abſur-
di-

dissimum, ac reipublicae perniciosissimum videri debet, quod cives ad pontificiam curiam non sine maximo impendio, ac labore confugiant, ut connubialis ineundae pactionis, quae civilium omnium conventionum praecipua, quae universae hominum societatis fundamentum est gratiam obtineant?

Jam vero ab iis evolvendis causis, quae ad reipublicae utilitatem referuntur, quaeque legitimam nuptiarum veniam facere possunt, abstinemus, cum hae temporum, locorum, ac personarum varietate pendeant, prudentique judicis relinquantur arbitrio. Id unum urgeo, ac premo, quod hujusmodi causae, quibus ad concedendam injustarum nuptiarum veniam adduci debet judex, ad evidentem reipublicae utilitatem, gravemque necessitatem referendae omnino sunt, secus hujusmodi veniam a legitima potestate alioqui manantem non solum injustam, atque illicitam, sed irritam, cassamque pronunciant melioris notae Theologi. Profecto una ex iis causis, qua vetiti matrimonii gratiam facere potest Princeps, vel judex, ad aliquas extinguendas lites, quae reipublicae utilitati vehementer adversantur, spectat, dummodo illae studiosa illorum, qui prohibitis nuptiis inhiant, opera, ac vitio minus emergant; sua nemini namque culpa prodesse debet. Jure igitur, ac merito Magnus Etruriae Dux PETRUS LEOPOLDUS sapientissimus Princeps, ac Dominus noster Picciollium illum, quem supra nominavimus, quique litis prudenti hominum consilio facile dirimendae obtentu incesti conjugii veniam extorquere contendebat, voti dimisit expertem, priscaque legum auctoritate retenta

male

male ominatam romanae curiae veniam , doctiſsimo , juriſque ſervantiſsimo Scipione Riccio Piſtorienſis , ac Pratenſis Eccleſiae Pontifice referente exequendam negavit , quam ſubinde patria extorris juvenis . heu memorare refugit animus , ab ipſa romana curia injuſtiſsime expreſsit . Atque ita tandem emenſus ſum varium , ac difficile tractationis iter, utinam et rei dignitati , meique expectationi reſponderim . •

F I N I S.







